

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1868

De B. Alexandro Saulio Episcopo Ticinensi In Ducatu Mediolanensi
Commentarius Prævius Beati biographi; Vita hic danda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](#)

DE B. ALEXANDRO SAULIO

EPISCOPO TICINENSI

IN DUCATU MEDIOLANENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Beati biographi; Vita hic danda.

ANNO MDXCH.
Inter hie re-
censios B.
Alexandri
biographos

Beati Alexandri virtutes, præclareque facta varii vario tempore ex Ordine Clericorum Regularium S. Pauli sacerdotes litteris consignarunt. Horum precipios, quorū et lucubrationes in judicio Romano examinatae B et, ut loquantur, compulsa fuerunt, assertum in supellectili nostra literaria processum, qui ad legitimū hujus Antistitis cultum impetrandum auctoritate Apostolica instructi fuerunt compendium, sequentibus his verbis recenset: Nactus est venerabilis Servus Dei quatuor sequentes Vitæ scriptores, quorum duo primi antiqui fuerunt ac contemporanei ven. Servi Dei; ali vero recentiores: scilicet reverendum patrem Jo. Antonium Gabutium, ex Ordine Clericorum Reg. S. Pauli, qui cum Servo Dei saepius conversatus, hujus Vitam circa annum 1600 conscripsit, et reverendum P. J. Ambrosium Mazentam, Præpositum Generalem Congregationis Cler. Reg. S. Pauli, qui cum Servo Dei conversatus, hujus etiam scripsit Compendium Vitæ anno 1617. Reverendum P. Innocentium ab Ecclesia, ejusdem Congregationis clericum, qui Servi Dei Vitam anno 1656 scripsit; denique R. Patrem Augustinum Galleum, qui ejusdem Servi Dei Vitam anno 1661 Romanus edidit. *Laudatos biographos reverendi patres Maggius et C Augustinus Torniellus sunt secuti; ex horum vero lucubrationibus, cum statim citato P. Innocentii ab Ecclesia opere collatis, P. Franciscus Barellus B. Alexandri Acta et Miracula concinnavit, que sui Ordinis Historiaz, Bononiæ anno 1703 Italice a se editæ, inseruit.*

primum locum
tenet Jo. Ant.
Gabutius.

2 Gabutius, quem inter Beati nostri biographos primo loco nominatum videmus. Congregationem Clericorum Reg. S. Pauli Reparatæ Salutis anno 1575 ingressus, vir fuit summo ingenio, probata vita, doctrina et moribus, ut ex ipsius Vita, quam Paulus Branda ejusdem Congregationis clericus composuit, et B. Alexandri Vitæ, infra a nobis recudende, fas est colligere, spectandus; qui inter varia miræ eruditio[n]e monumenta, que posteritati tradidit, Pii V Pontificis sanctissimi res præclare gestas ita fideliter eleganterque scripsit, ut nihil hac lucubratione (in Opere nostro ad diemv Maii Comment. præviu[m] ad hujus beati Pontificis Vitam vides) absolutius, nihil illustrius fieri potuisse, consenserint viri doctissimi. Eadem fidelitate et elegantia laudatus auctor B. Alexandri res gestas, quibus quādū in vivis fuit, mortalibus innocentiae virtutis-

que exemplum fuit, sicut et miracula, quæ per Beati nostri intercessionem a Deo patrata fuerunt, Latinis litteris mandavit; ea autem omnia optime habuit perspecta, ut ipse auctor sequentibus hisce Prologi ad lectorem verbis testatur: Ceterum ea tantum brevi ac fidei narratione complectemur, que vel ipsi vidiimus vel a viris fide dignis oculatisque testibus, qui haec fere omnia jurejurando in judicio confirmarunt, acceptimus.

3 Qua porro cura et sollicitudine Latinum id exemplar laudatus Gabutius perficere al-laboraverit, et, quanti sit estimandum, colligimus ea Praefatiuncula, Operi isti præmissa, in qua, qui id Mediolani anno 1748 in lucem emisit, Paulus Onuphrius Branda, Cler. Reg. S. Pauli sacerdos, sequentem loquitur in modum: Quanta vero perfectum industria fuerit exemplar hujusmodi, quod edimus in lucem, plane possumus intelligere ex altero item codice Ms. ejusdem Vitæ, quem Gabutii manu pluribus in locis emendatum ac magna ex parte renovatum expendimus. Hoc igitur exemplar a Gabutio tam severe castigatum, nitide postea exscriptum ante annum MDCXXII, leviterque rursum a Gabutio paucis in locis insatiabili prope diligentia limatum alio in libro Ms. Tabulari S. Barnabæ Præp. Gener. invenimus, atque id est, quod modo excudendum curamus.

4 Elapsis aliquot annis, postquam Beati nostri Vitam Latine scripsisset, aliam Italico sermone, Latina fusiōrem, plurimisque præclare factis auctam, idem auctor composuit. Ita me Onuphrius Branda in supra laudato Prologo docet: Nacti enim sumus, inquit, uno in volumine Latino exemplari adjectum Italicum ab eodem Gabutio concinnatum pluribusque auctum pulcherrimis ac necessaris cognitionibus. Tantæ vero fidei et auctoritatis id ipsum reperimus, ut in calce operis facultatem illud edendi obsignatam ab iis deprehenderimus, ad quos pertinet, Religionis et Principis nomine, vivo adhuc Gabutio. Et quibusdam interjectis idem scriptor, cur Italica Gabutii lucubratio plurima, in Latina desiderata, contineat, sic edicit: Neque mireris Latina ejusdem auctoris historia Italicam esse fusiorē. Cum enim nihil haberet Gabutius veritate antiquius, ac mori etiam se malle præmittat Italicae Vitæ, quam quidquam pro certo affirmare, quod non satis constaret; nihil mirum, si plurima reticuit in Latina, quæ postea in Italicam aliquot post annis ab se conscriptam inserui

Hujus Latinam
lucubratio[n]em,

F
ex alia ejusdem
auctoris Italica

A inseruit, cum ea scilicet per testes juratos in Actis legitimis explorata et comperta fuerunt, quæ, dum Latinam scribebat, non adhuc erant firmissimis momentis comprobata.

*et aliunde ab
Onuphrio
Branda au-
clam, hic in
lucem,*

5 *Paulus Onuphrius Branda, ex Ordine Clericorum Reg. S. Pauli, B. Alexandri Vitam, quam a laudato Gabutio Latino sermone concinnatam diximus, cum supra citata ejusdem scriptoris Italica lucubratione, ex qua plurima majoris momenti excerpit et Latinis donavit, studioso collatam et aliquot factis, quæ, mortuo forte Gabutio, in Romano iudicio discussa et probata fuere, auctam, Mediolani Incarnati Verbi anno 1748 publici juris fecit. Editorem ipsum de Operis sui forma in Prologo ad lectorem loquenter audiamus. Hinc igitur, id est, ex Italica Vita, deprompta censumus, que essent majoris momenti. Sed cum hæc in Latinum fuerint vertenda, ne quid temere violata fide in Gabutii textum induceretur, cuius etiam verborum auctor ipse non esset, optimum duximus, quæ nos ex Italica Gabutii Vita Latina feceramus, tamquam*

B additamenta alio charactere singulis capitibus supponere: ut, si quisilla etiam desideret, facile possit numerorum indicio in locum suum revocare; si quis, delectatus Gabutii elegantia, interpres ceterorum fastidat ruditatem, recta pergit in Gabutii lectionem.... Quod si quidquam adjiciendum censebimus, quod, mortuo forte Gabutio, in Romano iudicio de Alexandri sanctitate discussum, juratisque testibus confirmatum fuerit, (quod rarius continget) hac nota * distinguemus, simulque locum designabimus Actorum Romanorum, que in hac causa congesta ac typis impressa Roma fuerunt. *Hanc Beati nostri Vitam, ut a Paulo Onuphrio est edita, recudemus, et consuetis Annotatis illustrabimus; cui deinde ipsum Beatificatiois Breve, Roma ad nos missum, subjun- gemus.*

*de Beato haec
die ob ratio-
nam hic alle-
gatam agen-
tes emittimus.*

C *Ticinensisque ecclesiis, atque a clericis Barnabitis honoratur, hoc die agamus, lectorum edoceamus. Quamquam Sanctos ac Beatos, Martyrologio Romano haud inscriptos, iis diebus, quibus vel ex immemorabilis temporis usu, vel ex Ecclesiae concessione ecclesiastico a Fidelibus afficiuntur, soleamus plerumque in Opus nostrum inferre, ac proin in hujus Appendicem Beatus noster, ut de eiusdem ad xxiii Aprilis diem, qua quamvis Martyrologio Romano nusquam hactenus sit inscriptus, quotannis tamen, ut dictum, ex auctoritate Apostolica colitur, ageretur, reji-ciendus fuisset, hodie tamen Beato locum in Opero nostro concedere ac res ejus præclare gestas lectori legendas proponere est visum, tum quod quotannis, ut R. Pater Attendolus, Mediolanensis S. Barnabæ collegii præpositus, Majoribus nostris scripsit, hac xi Octobris die, qua anno 1592 mortalem vitam cum immortalis commutavit, a religiosis Barnabitis honoribus, Beatis deferri solitis, afficiatur; tum quod de B. Alexandri virtutibus hac die a nobis tractatum iri, laudate Præposito a successoribus nostris fuerit promissum.*

VITA

B. ALEXANDRI SAULII

ALERIENSIS, TUM TICINENSIS, EP.,

EX ORDINE CLER. REG. S. PAULI,

Auctore Jo. Ant. Gabutio,
ejusdem Ordinis clericō,

Mediolani anno MDCCXLVIII cum plu-
ribus additamentis ex eodem po-
tissimum scriptore depromptis,
per Paulum Onuphrium Bran- E
dam ejusdem Congreg. clericum
edita.

PRÆFATIO EDITORIS.

Nihil hac vita posse gravius scriptum in hoc genere proferri, clarius jam puto constare, quam ut pluribus demonstrari oporteat. Vix enim cujusquam fides, integritas et doctrina esse potest tanta, quantam Gabutii fuisse su-premo religionis consilio, ac orbis prope universi consensu jam fuit comprobatum. Quan-ta vero perfectum industria fuerit exemplar hu-jusmodi, quod edimus in lucem, plane possumus intelligere ex altero item codice Ms. ejusdem Vita, quem Gabutii manu pluribus in locis emendatum, ac magna ex parte renovatum expendimus. Hoc igitur exemplar a Gabutio tam severe castigatum, nitide postea exscri- F

*Hæc Vita, a
sincero et
docto Gabu-
tio Latine con-
cinnata,*

2 Compendium potius videtur, quam satis explicata historia. Plura etiam in hoc desiderantur, quæ splendida, quæ heroicæ habenda sunt, ad sanctissimorum Alexandri virtutum celebritatem commendandam et exemplum pro-movendum. Sed primum expetebatur ab iis, qui librum hunc flagitabant; ut esset percom-modus, ac ipsa brevitatem vel occupatos alliceret ad legendum. Quæ vero deerant præci-pua, qua ratione suppleremus, non fuit diffi-cile invenire. Nacti enim sumus uno in volu-mine Latino exemplari adjectum Italicum, ab eodem Gabutio concinnatum, pluribusque autum pulcherrimis ac necessariis cognitionibus. Tantæ vero fidei et auctoritatis id ipsum repe-rerimus, ut in calce operis facultatem illud eden-di obsignatam ab iis deprehenderimus, ad quos pertinet, Religionis et Principis nomine, vivo adhuc Gabutio, v. scilicet Id. Jan. MDCXXII.

*cui quædam,
ex dicti Italico
exemplari de-
sumpta,*

Hanc

A. GABUTIO.

Hinc igitur depromenda censuimus, quæ essent majoris momenti. Sed cum hæc fuerint in Latinum vertenda, ne quid temere violata fide in Gabutii textum induceretur, cuius etiam verborum auctor ipse non esset, optimum duximus, que nos ex Italica Gabutii Vita Latina feceramus, tamquam additamenta alio charactere singulis capitibus supponere a: ut, si quis illa etiam desideret, facile possit numerorum indicio in locum suum revocare; si quis delectatus Gabutii elegantia, interpretis ceterorum fastidiat ruditatem, recta pergit in Gabutii lectionem.

et Latine redita singulis capitibus editor adjecti,

a 3 Neque mireris, Latina ejusdem auctoris historia Italicam esse fusiorem. Cum enim nihil haberet Gabutius veritatem antiquius, ac mori etiam se malle præmittat Italice Vitæ, quam quidquam pro certo affirmare, quod non satis constaret; nihil mirum, si plurima reticuit in Latina, que postea in Italicam, aliquot post annis ab se conscriptam, inseruit, cum ea scilicet per testes juratos in Actis legitimis explorata et comperta fuerunt, quæ, dum Latinam B scribebat, non adhuc erant firmissimis momentis comprobata. Rerum igitur precipuarum cognitio in hac Vita Gabutii auctoritate innitetur. Quod si quidquam adjiciendum censemus, quod, mortuo forte Gabutio, in Romano judicio de Alexandri sanctitate discussum, juratisque testibus confirmatum fuerit, (quod rarius contingit) **b** haec * nota distinguemus, simulque locum designabimus Actorum Romanorum, quæ in hac causa congesta ac typis impressa Romæ fuerunt b. Id vero, ut licet, quotiescumque, lubebit, rogamus; quin ulla teneamur lege, omnia, quæ ibi sunt summa auctoritate comprobata, in hoc breve Compendium referre.

4 Nitidam et elegantem ac vere Latinam esse Gabutii elocutionem, non dubitamus, quin sit lector quivis judicaturus: dummodo in æquum ac minime superstitiosum Latinitatis estimatorem incidamus. Scrupulos enim quosdam in verbis Latinis dijudicandis ut evellamus ex animo, nedum ratio, verum etiam necessitas ipsa cogit, cum in iis versamur, quæ ad sacrosanctam religionem et instituta Christianiorum pertinent, quæque non licet satis idonea ex aures quidem, at minime Christianis auctoribus mutuari. In quibus quis nobis jure succenseat, si vel paululum ad rem nostram Latina verba infectimus, vel quædam etiam substituimus recepta jam apud veteres Ecclesiæ patres, vel etiam derivamus ex Gracis rerum nomina, quæ Latinis inusitatæ prorsus atque inaudite fuerunt? Quare integrum nobis erit, Jesum Christum, salutis nostræ auctorem, suo jam nomine, quamvis non ita Latino, Salvatorem appellare, quin molesta sepe verborum circuitione utamur. Rem enim attingere minime videntur, qui Servatorem idem putant significare c. Eadem prope ratione humilitatem, devotionem aliaque hujusmodi virtutum nomina, quæ ad Servorum Dei sanctitatem promoven- dantur sunt definite, ex Vitis Sanctorum expungere nefas erit. Ecclesiam porro, episcopum, clericos et id generis plurima sacris scriptoribus, licet nitidissimis, adeo sunt familia- ria, ut, qui peregrinatis ea redarguit, peregrinari ipse in Christiana republica videatur. Sed hæc jam forte nimis multa, humano præser- tim ac benevolo lectori, quale te esse certo sci-

mus, qui nostra etiam legere minime gravaris; D ceterorum neque adprobationem expetimus, neque censuram et reprehensionem aut pertimes- cimus, aut recusamus.

ANNOTATA.

a Nos etiam in Annotatis lectorem de iis monebimus.

b Hæc etiam in Annotatis recensebimus.

c Hoc assertum sequentibus Ciceronis et

Manutii verbis editor confirmat: Cicero Act.

n, lib. II in Verrem cap. LXXXIII: Etiam Soter inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est?

Ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimurum Soter, qui salutem dedit.

Ad que Manutius: Quo patet communis error

eorum, qui Jesum Christum, cuius immortalia

merita nullo satis uno verbo exprimi Latine

queunt, Servatorem appellant. Aliud enim est

servare, aliud salutem dare. Servatis, qui, ne

salus amittatur, aliqua ratione præstat: salu-

tem dat, dum amissam restituit. Quod si Servator

non est Soter, quia minus valet; Salvator au-

tem, ut inusitatum, Cicero vitavit, maluitque

dicere, qui salutem dedit: nimurum de eo si

loquimur, qui afflictum genus humanum non

in eodem statu servavit; sed a sempiterno inte-

ritu ad perpetuæ vite bona perduxit; quod

summi Dei Filius et fecit et facere solus potuit;

necessæ est vel Salvatorem appellare, quod Σωτήρ

Grecæ dicitur, usurpat in re nova novo verbo,

quod veteres quoque probarunt; vel Ciceronis

exemplo uti circumscriptio, et dicere: Is,

qui salutem dedit. Quamquam circumscriptio,

ut interdum non commoda solum, verum etiam

necessaria videtur, sic iterata sèpius et digni-

tatem amittit, et satietatem parit.

E

PRÆFATIO.

AUCTORIS GABUTII.

V

irorum cum dignitate et virtute, tum vita sanctitate præstantem mores, ac res gestas mandare litteris Christianæ Reipublicæ conduce, et res ipsa docet, et sapientissimi viri semper censerunt. Nam si, ut præclare dixit sanctus Ambrosius, sanctorum Hominum vita ceteris norma vivendi est, eam nobis ad imitandum propositam esse juvat: ac si omnis historia, ut summus Orator scriptum reliquit, est magistra vite, eo magis id in eam convenit historiam, quæ nobis, tamquam in speculo perfectæ virtutis imaginem, variis sanctarum actionum colorum* expressam repræsentat, atque ad recte pieque vivendum animos incendit. Quo in genere, quamvis plurima eaque præclara, nobis non desint exempla in omni etate, omni scriptorum studio literarum monumentis tradita: non ab re tamquam fuerit, que recentiora sunt, quæque veluti presentia magis legentium animos movent, posteris tradere; ut, si minus antiquis, saltem nostri temporis ad virtutem stimulis incitemur; atque ei honorem et gloriam, ut par est, tribuamus, qui talia nobis in Servis suis ad nostram eruditionem prælucere voluit lumina virtutum. Cum igitur hujusmodi beneficium in Alessandro Saulio, episcopo singulari virtute prædicto

Quare Sancti
res gestas po-
steritati com-
mendet, et un-
de illas hau-
serit, auctor
edicit.

* I. coloribus

A prædicto, pro sua clementia in nos Deus contulerit; id ne ulla umquam vel temporum injuria, vel hominum oblivione deleatur, scriptis prodere, ad gloriam Dei, et ad ejus famuli retinendam memoriam, ad communeque posteritatis commodum pertinere existimatum est. Ceterum ea tantum brevi, ac fideli narratione completemur, quæ vel ipsi vidimus, vel a viris fide dignis, oculatique testibus, qui haec fere omnia jurejurando in judicio confirmarunt, accepimus. Sed jam ad rem aggrediamur,

tatem Venetiis, et Ticini per annos fere xxx magna cum laude publice docuit c. Alexander itaque humanioribus litteris, optimisque disciplinis instructus, id futura sanctitatis specimen dedit, ut inter aequales eo modestior nemo esset, nemo candidior, atque Christianæ pietatis in studia propensior.

A. GARUTIO.

Bonis artibus
instructus,
Mediolani Cle-
ricorum Re-
gularium S.
Pauli habitum
anno 1531 in-
dulit;

3 Itaque xvii annum agens humanae vita fragilitatem, æternae felicitatis gaudia secum ipse considerans, et quam multis, magnisque nominibus Deo vivere oportaret, diligenter expendens, relictis omnibus, Deo se se in Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli dedicare constituit, atque anno Domini MDLI sacro die Pentecostes xvi Kal. Junii in collegium S. Barnabæ Mediolani, post varia de illius constanti proposito facta pericula, ad probationem admissus, xviii Kal. Septembri ejusdem anni Religionis habitum, suo retento nomine, suscepit. Inter alias vero probationis ejus exercitationes, illa fuit memorabilis, cum seu patrum suasu, seu permisso, habitu suo candido atque eleganti, ut stultus fieret propter Christum, sublata magna cruce, in E

ampliæ civitatis platea d, in summa populi frequentia, alacriter procedens, ardentí animo de mundi contemptu, deque serie Christi imitatione verba fecit. Quod spectaculum, ut plerisque admirationis et ad meliorem frugem conversionis, sic aliis irrisio[n]is et ludibrii fuit occasio. Sic enim piorum vita: Aliis quidem, ut ait Apostolus, odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam esse consuevit. II. ad Cor. II. XVI. Sed in utrisque Alexander de mundo triumphans, quod querebat, lucrum reportavit; in illis quidem animalium salutem, in his vero sui ipsius, et humani fastus despiciuntiam. Sed ejusmodi religiosæ humilitatis opera, ut primis illis congregations patribus, ita postea Alexandro nostro, frequenti erant in usu; indeque ad intimam sui negationem, sanctamque victoriam humanae superbie sepius exercebant.

4 At vero illud quoque spectare, vel audire, juvandum fuit, cum diversis, ut fit, difficultatibus objectis, patribus ejus propositum disquirentibus prudenter, et religiose responderet. Rogatus inter alia, cur novam hanc potius et pauperem, quam aliam longe antiquiorem et clariorem Religionem sibi delegisset, et num super hac deliberatione Deum summis precibus consuluisse, et quid potissimum in hac re spectaret: quibus viribus fretus et auxiliis tam arduum opus, quale est perpetuum religiosæ professionis jugum, subire aggrederebatur; denique etiam atque etiam cogitaret, videretur quid ageret. Nam sibi, delicate educato et famulorum potius uti servito, quam alii inservire jam assueto, fore gravius et fortasse intolerabile, asperum religionis institutum amplecti et in laboribus, et vigilias caeteris inservire. De his autem partite interrogatus, singillatim respondens: "Deum", inquit, "per annum, ex quo mihi hanc mentem immisi, sit, enixe precatus sum, ut quid sibi gratius, mihique ad salutem utilius foret, ostenderet: atque in dies magis in hoc consilio confirmatus, eo duce, statui me in hoc Clericorum Ordine divino cultui consecrare, ratus in aliis plerisque religiosis familiis posse quidem me severiore affligendi corporis disciplinam invenire;

in qua reli-
gione, plurimis
virtutum

F

CAPUT I.

*Beati ortus, educatio, et in Cleri-
corum Reg. SS. Pauli et Bar-
nabæ congregationem ingressus.*

B

Beatus, ex
illustri familia
patre Domini-
co Saullo,
matre vero
a

Sauliæ gentis nomen Genuæ a, et alibi tum generis splendore, tum virorum virtute, dignitateque præcellentium celebitate, clarius est, quam ut in iis recensendis hic immorandum videatur. Inter alios vero (ut majores omittam) Dominicus Alexandri parens, non minus Christianæ pietatis, quam civilis prudens, doctrinæque laude floruit: ac propterea tum aliis summis viris, tum in primis Francisco II Sforzæ, postremo Mediolani duci, et Carolo V Cesari, qui postmodum ipsum distinctionem tenuit, fuit longe gratissimus. Quibus sub principibus, ficit patria Genuensis, singulari privilegio in Mediolanensem senatum honorifice cooptatus, et gravissimis negotiis publicis gerendis præfectus est: et ab ipso duce honoris et meriti causa Dominus constitutus est Castelli, quod, in diœcesi Derthonensi situm in Liguria, Puteolum appellatur; atque etiam in Sauliæ familia tenetur hoc tempore. Honestissimas præterea Dominicus ad summos pontifices Clementem VII, et Paulum III legationes, atque alia publica munera, et in iis utrumque Mediolani Quæstorum magistratum (licet magno suo cum detrimento, ob graves in illum excitatas columnas) præses integre administravit.

2 Patebat porro domus ejus optimis, et eruditissimis quibusque viris, quos ipse, tamquam alter sui temporis Macenas liberaliter fovet, et honestis officiis complectebatur. Alexander igitur patre Dominicu[m], matreque Thomasia Spinula, ejus conjugi, lectissima femina, pari nobilitate natu est Mediolani xv Kal. Martii, anno Salutis MDXXXV b. Adolescens in patris disciplina optime educatus, linguarum Graecæ et Latinæ, Rhetoricae præterea, ceterarumque bonarum artium studiis operam dedit, in quibus et ingenii præstantia, et præceptorum industria, hand mediocreos progressus fecit. Doctore præter alios usus est Joanne Baptista Rasario Novariensi, probo viro, omnique liberali doctrina ornatissimo, qui postea Galeni, Hippocratis, Oribasii, et aliorum Graecorum opera in Latinum, non minus fideliter, quam eleganter convertit, oratoriamque facul-

Thomasia
Spinula, dic
15 Februarii
an. 1535 Me-
diolani natus,
optime educa-
tur, et

b

A. GABUTIO. " venire ; sed hic, præter alia mortificationis instituta, vigore plurimum intimam voluntatis negationem, quod sacrificium Deo longe gravissimum, præstantiusque patienti genus esse existimo. In quo illud mihi propositum est, ut tolerandis injuriis et objurgationibus cum humilitate, patientia et caritate Deo perfecte serviam; atque ita ad ejus gloriari sanctus efficiar; quod me ope divina, vestroque, patres, auxilio consecutur spero. Neque me ab hoc consilio aut instituti difficultas, aut corporis commode enutriri, aut proprias libertatis amor, aut quidquam aliud avocare potest." Hæc ipse fere ad verbum.

*speciminibus
per triennium
et amplius*

5 Petentibus patribus, quas precipue virtutes admarant : Humilitatem, inquit, et castitatem, quoniam per eas beatissimam virginem Mariam Deo valde placuisse intelligo. Inter haec autem quidam ex patribus, quasi futura præsagiens, per jocum, ut fit, ad ejus tentandam modestiam, objicit, eum in hunc ordinem, adscribi velle, ut exinde fieret episcopus. Quod ille tamquam jocose dictum accipiens, nihilque minus fore cogitans, modesto silentio dissimulavit. Hæc autem licet leviora fortasse videantur, quam ut litteris mandentur, ea tamen silentio præterire non est visum, cum, ut ex iis quasi adolescentia floribus, quales virtutum fructus suo tempore daturus esset, innescat, tum etiam ut quam mature, cauteque in admittendis ad hoc Institutum novitiis, præsertim adolescentibus, (quod etiam adhuc usu retinetur) agere solerent jam ex eo tempore patres nostri, perspici possit.

6 Alexander igitur religionis habitu suscepito, quam de se concitaverat expectationem non modo non fecellit, sed etiam longe superavit. Nam eas virtutes, que potissimum spiritualis militiae tironem ornant, ita cœpit exercere, ut eo nemo esset aut ad devotionem humilioraque ministeria promptior, aut ad obediendum alacrior, aut ad omnia regularis disciplina munera diligentior. Ergo superiores humillimus, inter aequales omnibus gratis et amabilis, patiens in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in sui negatione in dies se ipso fortior, in omni denique genere virtutum exemplo ceteris singulare. Quas in eo virtutes mirifice condiebat virginalis quedam verecundia, ac verecunda gravitas, simplexque prudentia. In hac probatione per triennium et amplius exercitatus, tandem anno MDLIII. III Kal. Octobris solemnia religionis vota nuncupavit. Sic enim fere per id temporis differri (præcipue adolescentium) professio consueverat. Sed cum postea Tridentina synodus, post annum probationis, qui habiles fuerint, ad professionem admittendos esse statuisset; id incepit apud nos rite servari cœpit. Ceterum jam professi per quadriennium, plus minus, superiorum arbitrio, sub novitorum disciplina apud nos haber solent, ut in iis regulares mores magis ac magis adolescent, virtutesque altius radices agant.

7 Votorum igitur vinculis obligatus Alexander, diuque probatus, licet e novitatu esset eductus, nihil tamen de sua submissione, nihil de severa regularis vita ratione remisit; sed quam ingressus erat, religiosæ perfectionis viam quotidie magis sibi tenendam putavit, (justorum enim semita, ut ait sapiens Prov. IV, xix, quasi lux splendens, procedit, et

crescit usque ad perfectam diem,) gravemque D illorum errorem diligenter cavit, qui, absoluто regularis vitæ tirocinio, vota professi, quasi jam ad perfectionis metam pervenerint, permicosa quadam licentia, ferventis disciplinæ studia remittunt, et dum minima negligunt, pauplatim decidunt g.

ANNOTATA.

a *Urbs est Italie clarissima, emporium celeber, archiepiscopal et ejusdem nominis Reipublica caput, quæ aliquando ducibus Mediolanensis paruit, nunc autem, liberata recuperata, sui juris est.*

b *Supralaudatus Franciscus Aloysius Barrellus in citato opere, Thomasiam Spinulam Dominico Saulio sequentes proles peperisse, Italicas verbis, quæ Latina facio, sic refert: Dominicus Saulius ex Thomasia Spinula tres filios et tres filias genuit: primogenitus fuit Franciscus, patris in seculo vestigia secutus, secundus Alexander noster, et tertius Carolus, in pueritia mortuus; natarum vero prima fuit Lucia, postea Annibali Visconti matrimonio juncta, secunda Cornelia, quam Alexander Brivius, illustris Mediolanensis eques, in conjugem accepit, et natu minima, Paula Antonia nomine, sperto mundo, Mediolani in S. Lazari parthenone S. Dominicæ institutum est amplexa.*

c *Laudatus vitæ hujus editor sequentiæ ex Italico Gabutii exemplari, que Latina fecit, addit: Neque minorem aut operam impedit, aut laudem promeruit in hoc munere adolescentem optimis artibus informandi Julius Camillus Delminius, vir omni præstans eruditio et cultu literarum.*

d *Mercatorum scilicet, ut constat (*inquit hujus Vitæ editor*). Hoc enim forum dumtaxat, tunc temporis popularibus hisce spectaculis patebat. Nam quod modo ante templum maximum complanatum est, ab anno dumtaxat MDCLXXXII apertum fuit, tabernis eversis, quæ ibi erant exstructæ, ac templi fabricæ addictæ. Tum vero dejectæ cum fuerint ad magnificientius exornandum apparatissimum in urbem ingressum Frederici vicecomitis Mediolani archiepiscopi, cautum postea fuit, ne rursus exedificantur, civibus ultro, et abunde largientibus ipsi fabricæ, quanti non erant, neque tabernæ, neque redditus ex ipsis. V. C. Latuada in Mediol. Descript. tomo I n. 2 pag. 39.*

e *Hujus Vitæ editor ex Italico Gabutii exemplari sequentia excerpit. Primis Tirociniis sui mensibus contra naturæ suæ propensiones acriter decertavit. Somnum, quo incommodo feriebat antelucanas vigilias, ita devicit, ut etiam euraverit, officium sibi demandari a lios suscitandi, atque ad sacras Matutinas horas sonitu consueto advocandi. Neque quas solum in vitio esse putabat, verum etiam honestas cupiditates temperavit, si quidquam in modo timeret excessus. Sanctarum meditationum cum suavissima teneretur dulcedine, solitudinem, ut pote illis maxime accommodatam, vehementer expetebat: ac veritus, ne fraus ulla subesset, quæ ipsum averteret a suscepto vitæ instituto, Deo scilicet unice a se dilecto alios etiam conciliandi, rogavit moderatorem suum, cui omnes aperiebat animi recessus. ut abjectiora domus munia sibi committeret. Timiditatem vero,*

*datis, anno
1554 solemnia*

vota emitta.

A vero, quam sua ipsi attribuerat natura, ut superare consuesceret in iis munib; obvendis, quæ palam exerceri oportet, precibus impetravit, ut auxilio daretur sacrarii administris; in quo officio ita aliquamdiu instar angeli versatus est, ut pietatis, ac modestiae singularis tum nostris, tum extraneis admirabili fuerit exemplo.

f Laudatus editor ex dicto exemplari Italicu hæc addit: Rerum divinarum contemplationi ita erat deditus, atque in sacris meditationibus tanta perfundebatur gratiæ delectatione, ut quemadmodum conscientiae sue moderatori debuit significare, in iis cor suum astuare divino amore, liquefieri, ac prope languescere sentiret. Unde poterat et ipse usurpare Christi sponsæ verba: « Fulcite me floribus, stipe me « malis, quia amore languore. » Nec minus: « En dilectus meus loquitur mihi. » Adfirmabat enim, Christi Crucifixi secum loquentis vocem exaudire, seque ad apicem Christianæ perfectionis amantissime provocantis: sibi propterea certum ad deliberatum esse, in rebus omnibus, quoad posset, summum honorem Redemptori suo deferre.

g His verbis Onuphrius Branda sequentia, ex dicto jān fonte de prompta, alio caractere subjicit: Ad pertendantam, ut fit, ejus animi constantiam, domesticas delicias, parentum commoda, honores amplissimos, a quibus se abdicabat, proponebant identidem, qui ipsi erant præpositi: quibus ille modeste respondebat, humana omnia pre Ordinis sui paupertate acreligiosa submissione pili quidem se facere. Quin proposito illud fuit memorandum. Graviter ægrotabat vir quidam de congregatione nostra bene meritus, ex cuius subsidisi et liberalitate magna ex parte pendebat ejus collegii sustentatio. Adit Alexandrum vicarius; periculum pili hominum et futuras simul collegii angustias, si ille periisset, denunciavit; ægrum propterea ipsi commendat, ut precari Deum velit pro illius sanitate: cui Alexander, « Ne haec, inquit, de cause tempus differat Deus tam bene de nobis meriti æterna mercede remunerandi. Nihil me terret paupertas, arctissima licet, et maxime laboriosa. » Hinc fiebat, ut etiam, quod liceret per moderatorum permisum, corpus suum voluntariis castigationibus affigeret ac maceraret, quin et quandoque asperiorum vitæ rationem cuperet inire. Quamquam postea certior factus experientia confirmare soleret, quod in amplectendo Ordinis nostri instituto jam se intelligere declaraverat; multo nimis volun- esse difficiliorum sui ipsius, saeque voluntatis oppugnationem atque victoriam: in quo pugnae genere hic sibi fortiter et assidue confendum videbat.

CAPUT II.

Sacerdos et sacræ Theologiae doctor efficitur: deinde collegii Mediolanensis SS. Pauli et Barnabæ ac totius Congregationis Præpositus eligitur.

Q uam igitur ceperat, pie vivendi rationem constanter tenens, doctrinam cum probitate, pietatem cum sapientia, superiorum ductu, sibi conjungendam existimavit. Atque ut præstantis erat ingenii, Logicæ, Philosophiae ac Theologiae studiis deditus, in iis brevi tempore eos progressus fecit, ut certe edocendis aptus judicaretur. Factusque sacerdos in Ticinensi a Congregationis collegio docens jussu patrum, ipsarum scientiarum doctoris insignia consecutus est anno Salutis MDLXIII, idque, ut majore cum auctoritate posset apud nos docere, et, ubi opus esset, quas optime callebat, scientias profiteri: quamquam doctoris munere neque ipse, neque aliis ex nostris publicis in gymnasii adhuc functus esse reperitur, atque id deinde Constitutionum decreto cautum est. Quin etiam in more positum, ut ad fastum declinandum, religiosamque humilitatem retinendam, doctoris lauream ex nostris nemo ambiat, aut ea insigniri solet: sed potius sacra doctrina atque ad animarum salutem procurandam necessaria divinarum et humanarum rerum cognitione, qui ingenio valent, privati inter nos diligenter instrui cuarentur.

9 Inter hæc igitur Alexander in ecclesia nostra Ticinensi festis diebus verbum Dei prædicare, sacras confessiones audire, in ipso collegio nostros et alios Dialeticam, Philosophiam et sacram Theologiam magna cum laude parique auditorum fructu docere, questiones de officiis Christianæ vitæ, quas Casus appellant Conscientiæ, explicare ac de jure divino et humano multis respondere. In concionibus gravis ordinatusque erat et facilis; utilia docens, non in curiositate aut sublimitate sermonis, sed in doctrina spiritus; non se ipsum prædicans, sed Christum; in verbis efficax ac suavis, actioneque ac sentiarum pondere gravissimus b. In omni denique dicendi docendique ratione tutus atque perspicuus. In doctrina vero S. Thomas ita perite versatus erat et eruditus, ut ejus opera, præcipue Theologicam Summam fere totam memoria teneret. Inter ceteros sanctos Patres, potissimum lectione operum S. Gregorii Papæ, S. Joannis Chrysostomi, S. Bernardi et Joannis Cassiani delectabatur; eorumque, ut mores in vita, ita spiritum et doctrinam in concionibus repræsentabat.

10 Quidquid autem a sacris auctoribus acceptisset, non tamquam suum docendo jactabat, sed, quibus opus esset, acceptum referebat; haud ignarus ingenuum esse confiteri, per

*Ad sacerdotium promotus
superiorum
jussu contra
hujus Congregationis decre-
tam*

*s. Theologus
doctor creatur,
quam numma
cum humilita-
te.*

F

b

*enius continuo
exempla præ-
bet,*

104 quos

A. GABUTIO.

quos didiceris. Quin etiam quicquid propriis studiis et laboribus didicisset, non sibi vindicare, sed ei, a quo omnis sapientia est, acceptum ferre, ad ejusque gloriam cuncta dirigere consueverat: neque se multa scire, vir aliqui doctissimus, ostentabat; sed in multis, quasi nescius, discere potius, quam docere cupiebat. Nihil tamen magis curare videbatur, quam omnibus, quibus posset, verbo et opere prodesse, nullumque diem sine benignitatis in aliquem officio transigere: ratus, se non sibi solum, sed aliis quoque natum, sapientibus et insipientibus cum Apostolo ad Rom. i. xiv. debetorem esse c.

discipulos docet.

11 Inter haec autem magno omnibus cum ceterarum virtutum, tum religiosae submissionis erat exemplo, non clarum parentum genus tractare, non praclaris animi ingenique ornamenti efferi; non humiliora queque domestica ministeria defugere. Cum aliquando ejus propinquai ad Ticinense collegium nostrum, ubi tum ipse morabatur, carrum frumento onustum caritatis causa mississet, nostris, ut fit, bajulos, qui triticum in horreum deportarent, conducere volentibus, Alexander, qui velut tritici granum erat, pro Christi sibi mundoque in terra mortuum, fructus multos allaturus: "En," inquit, "quidnam impedit, quo minus nos ipsi oblatam eleemosynam sine aliorum opera reponamus?" Ac dicto citius, arreptis saccis iisque ad mensuram virium dimidiatis, humeris suis triticum in horreum gestare coepit, ceteris clericis exemplum ejus admirantibus pariter et imitantibus. Sed longum esset alia multa hujusmodi humilitatis ejus ceterarumque virtutum exempla commemorare, de quibus infra suo loco plura scribentur d.

Anno xatis 55
Congregationis
Præpositus
electus, S. Ca-
rolo Barro-
mo a confes-
sionibus est:

12 Haec et alia religiosae humilitatis et Christianae caritatis officia ex instituto præstans, in omni genere virtutum probe exercitatus, annum agens xatis xxxiii lectus est a patribus Præpositus Congregationis et collegii SS. Pauli et Barnabæ Mediolani. Quo munere magna cum pietate et prudentiae laude triennio fungens, gravibus in rebus, ad Christianam et Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus, sicuti etiam antea S. Carolo Cardinali, apud quem gratia et auctoritate plurimum valebat, fideliter inservit. Nihil enim fere paulo gravius sanctus ille presul agere solebat, quod non prius cum Alexandro conferret, atque de illius consilio constitueret, eumque sibi a Confessionibus esse voluit, atque ad ejus prudentiam sanctissimæ vitæ suæ rationem, pro eximia sua humilitate moderabatur e. Solebat namque optimus antiates, donec in terris vixit, pro singulari sua in hunc Clericorum Ordinem benevolentia ad patres nostros sepe divertere et apud eos diu familiariterque commorari, atque eorum opera et auxilio plurimis in rebus uti, quæ præsentim ad cultum divinum et ad animarum salutem pertinerent f.

subditos in re-
gulari discipli-
na

13 Ceterum Alexander, factus Præpositus, regularem disciplinam in Congregatione non minus exemplo, quam verbo, plurimum provexit; idque mirabilis caritate ac mansuetidine, qua fiebat, ui cunctis esset amabilis ac reverendus; amoreque potius, quam timore, homines, præsentim ingenuos et qui sponte sese Christi jugo subjecissent, in officio continuendos esse, atque ad perfectiorem vitam instituendos dicebat dictaque præstebat. Itaque non jubere,

sed rogare; non imperare, sed innuere; non D castigare, sed monere, quæ erat ejus in omnes caritas, et omnium in illum observantia, con-
sueverat g. Quas horas statim a sumpto cibo vel quieti, vel recreandis animis alii tribuunt, has ipse vel cum patribus agens de recte mode-
randis Congregatione, deque ordinanda disciplina, vel audiendis fratrum necessitatibus trans-
gebat.

14 Ceterum, quo alius major erat, eo ma-
gis se omnibus servum esse existimans, ejus
exemplo, qui de celo venit ministrare, non
ministrari, dum festi diebus in ecclesia S. Bar-
nabæ horis vespertinis sacras conciones haberet
ad populum, qui ad eum audiendum frequens
confluebat, iis diebus levissimo sumpto jenta-
culo, prandientibus fratribus vel mense mini-
strare vel lectoris munere fungi, postea vero
patinas et coquinæ vasa hamilitatis causa ex
instituto purgare consueverat; quod alias etiam
per totam hebdomadam agebat, et quandoque
preter ordinem alienas vices supplens, ut alios
ad humilitatis exemplum provocaret. Huic autem
religiōsae humilitati, velut firmo virtutum E
omnium fundamento, de quo infra suo loco
plura dicentur, innixa erat ardens illa caritas,
qua cum in omnes propter Deum, tum in pri-
mis domesticos præsentim ægrotos ac valetudinarios utebatur, eos quotidie licet variis curis
occupatus benigne visitans, de illorum diligenti
curatione sollicitus, illosque verbis hu-
manissimis ad patientiam et ad capiendum ex
langore salutis fructum leniter adhortans h.

errantes pater-
no amore cor-
ripit.

15 In privatis porro congressibus, ac familiari consuetudine eo nihil erat humanius, nihil ad mores componendos suo efficacius exem-
plo. Vidisses eum nihil otiose, nihil temere proferre, sed verba vita facientem, singulos ad virtutem excitare, dare monita salutis, omnes ad amorem Dei et ad fraternalm caritatem incendere, idque non importune aut moleste, sed gravi quadam hilaritate atque prudentia. In collationibus vero de rebus spiritualibus, sive de culparum accusatione ex instituto habendis, magna cum rerum experientia de curatione vitiorum ac de virtutum actionibus apostolico spiritu disserens, non minus exemplo, quam verbo, omnes ad perfectam vita ratio-
nem inflammatos dimittebat i. Si quispiam pri-
vatim errasset, hunc non publice objurgare, sed secreto; si vero publicum fuisset erratum, hunc coram aliis pro culpa gravitate paterna quadam severitate corripere solebat. Sed prius errantem inducere, ut, cognita erroris sui qualitate, vere penitentem; peccantis vero vi-
tium, quasi ulcus, aperturus ejus primum vir-
tutes et honestas actiones commendare, mox subiecere viiti turpidinem, laudabiles in eo virtutes obscurantis; quodsi emendaretur, pul-
chram in illo morum formam non desiderari:
mox tamquam optimus animarum medicus, os-
tentasse virtutis pulchritudine, quibus remediis
curandus morbus esset virtusque paranda, peri-
te demonstrabat.

16 Hunc autem divinum corripiendi mo-
dum, docente Deo, didicerat, qui, ut est in gi.
sacra Apocalypsi cap. II objurgaturus quosdam,
prius eorum commemorat virtutes, bonaque
opera commendat; subinde reprehensos ad
salutarem excitat penitentiam. Novit enim
Dominus figuramentum suum, noverat et Alexander
ejus spiritu ductus, ita hominibus natura com-
paratum

A paratum esse, ut et virtus laudibus excitata crescat, et objurgationibus, nisi recte fiant, exasperari potius, quam sanari animi soleant; et plerosque lenitate magis, quam acerbitate corrigi: cavendumque omnino, ne medicina noceat ægroto; neque incrationis remedium indignantis animi vindicta, sed caritatis juste pieque castigantis fiat medela, ut, quem oportet, salutis fructum consequatur. His itaque atque alii ejusmodi tum domesticis, tum externis curis dum strenue sese ad salutem animarum exercet Alexander, celebris jam de illius vita integritate, doctrina atque prudentia preceberat fama: plurimique ad eum tamquam ad summum theologum virumque optimum, consilii auxiliique causa confluabant.

ANNOTATA.

a Ticinum *Italiz*, in ducatu Mediolanensi, ad Ticinum fluvium, episcopalis sub archiepiscopo Mediolanensi civitas.

b *Sequentia ex Italica Beati nostri Vita a laudato editore sunt desumpta*: Antequam id muneris obiret, ut eo accuratius, quam fieri posset, in concione fungeretur, patres Alexandrum aliquo tempore privatim, dum ipsi mensæ accumbabant, ad dicendum coram ipsis advocabant, eique, si quid minus probassent, aperiebant. Ipse vero omnium admonitiones æqui bonique faciebat, atque ad aliorum sententiam et voluntatem tum actionem, tum orationem ipsam diligenter compонere studebat.

c *Ex Beati nostri Vita Italica editor hæc addit*: Ordinis sui institutorum custos accuratissimus secum semper deferebat regulas illas: quæ suo tempore erant prescriptæ, ac in more positæ apud primos patres; atque ex eis caput unum quotidie legebat. Quod etiam præstitit episcopus, sepe attenteque evolvens Constitutiones, que postmodum, anno scilicet MDLXXIX, in generali Ordinis conventu coram S. Carolo promulgatae, receptæ a patribus et Apostolica auctoritate confirmatae fuerunt.

d *In Italico exemplari hæc, teste laudato editore, habentur adjecta*: Vigebat eo tempore apud nostros pia consuetudo, (de qua nunc etiam prescriptum est in Constitutionibus lib. ii cap. x) per singulas fere hebdomadas, quotquot aderant, in collegio simul conveniendi; ut quisvis ordine in medium prosiliens ac in genua procumbens, eas sponte humiliterque confiteretur exteriores culpas, in quas forte incidisset. Nec se quisque solum accusabat; verum etiam cuncti licebat, enim, qui ante patres erat constitutus, ex caritate admonere et redarguere. Hoc judicium subiungit ipsi etiam superiores. Quia hic vero animadvertebantur, a perfecta Ordinis disciplina defectiones per graviores collegii patres, qui apud nos Discreti vocantur, referebantur in librum ad id comparatum; cuius rei plura exstant apud nostros monumenta. De Alexandro nihil in his notatum invenimus, praeter ardentem nimium discendi cupiditatem; quæ tanta fuit, ut una interdum manu tintinnabulum pulsaret, altera librum teneret, quem attente legebat. Nihil propterea difficultius in suscepto vite cursu se expertum esse ingenue testabatur, quam non posse pro libito litteris operam dare. Hanc tamen cupiditatem in sui Victoria ita cohibuit, ut ne litterulam quidem vel legeret, vel scri-

beret, nisi ex prescripto vel facultate moderatoris sui, ac postea fateretur, nihil se libentius facere, quam omnem voluntatem suam infringere.

e *De S. Carolo Borromao (teste sape laudato hujus Vitæ editore)* ita Carolus a Basilica Petri in ejus Vita, Ingolstadii impressa an. MDXIIII, lib. II, pag. 68 refert: Præterita omnia peccata sua a primis annis recognita, quod jam diu cupebat, confessus est Alexandro Saulio, S. Barnabæ Mediolani Praeposito, postea episcopo Ticinensi, cuius consilio et doctrina ut plurimum solitus fuit, donec eum ad episcopatum Alerensem a Pio V vocatum tam libenter ob Ecclesiæ fructum, quam segre ob suum et S. Pauli Congregationis usum dimitteret. Addit Glussianus, (*inquit Beati nostri editor*) in ejusdem S. Caroli Vita lib. II sub initio cap. XVI, S. Cardinalem singulari exemplo nihil haesitantem dicere auditus fuiss: tum ferme (ab illa nimirum totius anteactæ vita expiatione, Alexandri perfecta ministerio) spiritualis vitae curriculum inire coepisse, quidquid haec tenus egisset, habere pro nihil.

A. GABUTIO.

E

f *Ex saepius citata B. Alexandri Vita Italica Onuphrius Branda, Vitæ hujus editor, hæc subjicit*: Alexandri opera et prudentia usus est idem S. Antistes in pertractandis de summi Pontificis mandato gravissimis negotiis cum magnis principibus. Tam demum amanti liberalique erat in nostros animo præsul sanctissimus, ut eos Roman presbyteros Cardinalis Borromæi passim vocarent, ipsum vero Ordinis nostri parentem et auctorem haberent permulti: cum alioquin annis jam triginta, antequam ille Mediolanum archiepiscopus veniret, hic fundamenta jecisset Congregatio nostra ad morum disciplinam, et pietatem in hac sanctis operibus ac frequenti sacerorum Mysteriorum usu instaurandam. Quod opus feliciter ceptum ad eam perfectionem divinitus provexit S. Carolus. Ex hac, *inquit editor*, Gabutii narratione et error patet et forte erroris causa, quo uni ex ingentibus tabulis, S. Caroli præclaræ gestæ elegantissime representantibus ac templi maximi intercolumnia in ejus solemnis Mediolani ornamentibus, subscriptum legitur: S. Carolum Mediolanum introducere Barnabitæ. Id enim abest quidem longe a veritate, ut constat ex dictis; sed ex singulari forte S. Antistitis amore, maxime erga Ordinem nostrum promeritis, fidem primum apud aliquos invenit, tum etiam littoris mandatum est.

g *His in Latina Beati Vita enarratis, Onuphrius Branda sequentia ex Italica ejusdem Vita subjungit*: In cultu divino promovendo erat maxime sollicitus. Curavit diligentissime, ut nostri statis horis psallerent in domo Dei voce non minus gravi, quam moderata et æquabili, qua possent distincte a populo sacra verba exaudiri non sine intimo pietatis sensu, bene vero sine molestia ac tedium, quod fere parit immoda cantilenæ productio et compressa nimium pronunciatio. Quod postea, ut perpetuo servaretur, constitutum fuit ex antiquo Ecclesiæ instituto, Orientalis nimirum, ut tradidit Augustinus de Athanasio loquens lib. X Confess. XXXIII, et Latinae, ut auctor est S. Isidorus lib. I de Offic. Eccles. cap. V. In templorum rerumque sacrarum nitore et elegantia fuit accuratissimus: cavitque, ne quidquam, quod sacrario attributum esset ac donatum, in alios

A. GALETO.

alios impenderetur usus, quam in sacras supellectiles templique ornamenta.... Regularis disciplinæ propugnator acerrimus ne paululum quidem ejus umquam relaxavit, licet a viris amplissimis rogaretur, nihil veritus repulsam dare; (summa tamen semper cum dexteritate et gratia) euicunque id postulanti, quod officeret institutorum ratione. Comiter etiam blandeque id impetravit a sacerdotibus nonnullis, vota jam quidem professis, at non satis matura adhuc ætate, ut sponte ad tempus aliquod juri cederent suffragiorum: idque ne in Ordinis moderatione ad consilium adhiberentur, qui nondum per attatem essent idonei.

h In Beati Vita Italica Gabutius hæc addit: Tenax ipse communis vita nihil umquam in victu ad vestitu admitit, quod esset singulare. Abhorrebat ab omnibus vite commidis, corporisque sui indulgentia. Rarius, quam posset, domos alienas etiam consanguineorum adibat. Haec, ut ceteri quoque præstarent, diligenter curabat. In id autem summa incumbebat vigilantia, ut omnes assidue in religiosa et utili aliqua exercitatione essent occupati. Sacra studia magni faciebat, legesque ipse opportunas de eorum ratione constituit. Quantum vero quisque tum in his, tum in religiosis perfectio- nis cursu proficeret, rationem ipse a singulis reposcebat.

i Ex Italico Beati nostri Vita exemplari sequentia sunt deponpta: Peculiarem dabant operam, ut adolescentes nostri probe essent sancteque instituti; ut semper alacres lætique Deo famularentur. Forum valetudini invigilabat at- tente, ac, ne quid umquam, quod fieri posset, eorum corpori vel animæ deesset, summa caritate previdebat. Quin pulchrum fuit et ad vindendum jucundum, Alexandrum ea prædictum dignitate, illorum adolescentium atati identidem morem gerere, atque, ut illis liberiorem ad se aditum aperiret eosque suavius alliceret ad virtutem, eorum sese lusibus immiscere animique remissionibus, quibus ætas illa non minus honeste, quam utiliter, a religiosis etiam moderatoribus refici et recreari solet: ut vere potuerit Alexander illud Apostoli sui usurpare: Facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si C nutrita foveat filios suos.....; quoniam carissimi nobis facti estis, i Thess. ii. vii.

CAPUT III.

Aleriae episcopus creatur: in hac diecesi ecclesiasticam disciplinam et Christianam religionem restituit.

Oblatum a Pio
V summo
Pontifice Ale-
riensem episo-
patum

a

Quare Pius V a, Pontifex sanctissimus et in hominum meritis æstimandis acerrimi iudicis, etsi ejus operam ad iuerandas Christo animas et in hac parvula Congregatione bene moderanda perutilem esse non ignorabat; tamen honori divino magis consultum fore putavit, si lectus episcopus ad Aleriensem ecclesiam in Corsicanam b, tamquam ad incultam Domini

et ministrorum loco contulit officia hanc

collatum

vineam diligenter excolendam, mitteretur. Fuit D quondam Aleria ejus insulae oppidum insigne nobilisque Romanorum colonia, nunc vero temporis injurya desolatum, cuius vix extant ruine, titulumque tenet episcopatus, sub se alia multa oppida et pagos habentis, ita ut non minus locorum asperitate, quam diecesis amplitudine primarium inter alios ejus insule episcopatus locum tenere prohibeatur. Protenditur enim in longitudinem fere centum millia passuum, in latitudinem vero quinquaginta. Quemadmodum igitur olim a Magno Basilio Gregorius c ille, cognomento Theologus, Sasimæ exiguæ ignobilisque in Cappadocia oppidi, sic Alexander noster a summo Pontifice parvæ quidem et lapsa civitatis, sed ampliæ et nobilis diecesis et ecclesie præsul invitus designatur.

18 Quod simul atque ille cognovit, ad Pontificem litteras dedit, quibus ea, qua decebat, submissione ac libertate onus, ut ipse cum eodem Gregorio dicere solebat, angelicus humeris formidandum ac viribus suis impar, subire recusabat: malle namque se tuto religiosæ militatis in portu continere, quam salutem suam periculosæ episcopalis vita fluctibus expondere: non deesse alios huic oneri sustinendo longe aptiores atque meliores; se quicquid posset in congregationis sue beneficium, in qua mori cuperet, libertus, donec vivetur, impensuram: interim aliorum saluti procurandæ non defutrum: aliqui paratum esse, quando opus foret, nullis laboribus parcendo, pro Sede Apostolica, sanctaque Dei ecclesia vitam et sanguinem profundere. Sed quo magis ille reniti, eo constantior in sua sententia Pontifex persistere videbatur. Quare quominus jubenti Pio, ac S. Carolo suadenti obtemperaret, effugere minime potuit, præsertim quod id ad maiorem Dei gloriam, ecclesiæque sue utilitatem pertinere dicebant d.

19 Itaque ne propter loci difficultates, vel ob alia incommoda in eo pascendo Dominico grege pastorales labores detrectasse videretur, licet invitus, manus dedit. Fuit autem hæc electio tam patribus nostris quam ipsi electo minime grata, sed acerba potius, plenaque mœroris: tum quia vir congregationi utilissimus eo tempore, quo ejus opera maxime indigebat, subtrahebatur; tum vero multo magis, quod id conservando religiosæ humilitatis instituto repugnare, et ambitioni quasi aditus ad dignitates aperire verebantur. Nihil namque magis primi illi hujus congregationis auctores, eorumque deinceps successores ex professo curarunt, quam ut minime ad honores, et dignitates aspirantes, in sua humilitatis professione sese continerent, et in qua primum vocati essent, vocazione Domi no deservirent. Sed, ut fit, summis Pontificebus, aliter interdum ad honorem Dei Ecclesiæque sua sanctæ utilitatem expedire judicantibus atque adeo jubentibus, non acquiescere nefas videtur. Nam ut ambire periculosum ac turpe, ita divinæ voluntatis, in Christi vicario se prodenti, resistere minime tutum aut æquum est. Inter haec non defuit, qui Pio suggesteret, ut super ipsius episcopatus fructus, qui erant circiter duo aureorum millia, annuam pensionem imponeret. Quam Pontifex suggestionem repellens: « Id, inquit, nobis nullo modo placet. » Scimus enim episcopatum viro probo ac digno

recusat, ut hanc ecclesiam tandem, Pio V jubente, et S. Carolo suadente,

interimdictæ Congregationis patribus plurimum dolentibus, regendam suscipit,

A " collatum esse, qui illum recte administrabit." Pontificis opinionem, ut patebit, comprobavit eventus.

et ad illam anno 1370, postquam a S. Carolo fuisse consecratus, proficisciatur.

20 Alexander igitur quarto Idus Martii, die festo S. Gregorii Papae ipso anno MDLXX in ecclesia Metropolitana Mediolani a S. Carolo rite consecratur, ac paulo post ad ecclesiam suam proficiscitur: secundum perduxit tres congregationis sacerdotes, quorum societas regularem disciplinam, quoquo modo posset, retinere et eorum opera, quod illi praescriberserat Pius, ad procurandam animarum salutem, ecclesiamque illam bene moderandam uteretur. Quibus ali deinceps bini, vel terti praebyteri, et clerici ex nostris pro tempore passim successere; qui magnis laboribus haud mediocres ad animarum salutem ibi pietatis fructus protulerent. In Corsicam properantem de obitu Dominici parentis sui, quem Tinici senio, morboque languentem reliquerat, lugubris nuncius est subsecutus. Quem ille casum aequo tulit animo, divina fretus clementia, quæ illum ex humanae vitae miseriis ad aeternæ felicitatis gaudia transtulit: nihilque inde retardatus, parentis carissimi obitum non tam lacrymis, quam piis apud Deum suffragiis prosequendum putavit: iterque suum tenens, in Corsicam pervenit, ubi ab illis diœcesis sua populis citra magnifici apparatus pompa reverenter exceptus, ad gregem suum bene curandum bonus pastor cogitationes omnes et studia contulit.

In hac diœcesi ad Christianam religiōnem populum,

21 Squalebat eo tempore illa diœcesis, tamquam inculta sylva, variis et morum corruptelis, et ignorantiae tenebris obfuscata; idque propter diurna bella, et pastorum non residentium incuriam. Neglecta, et collapsa ecclesiastica disciplina, magna rerum ad salutem necessariarum tam in clero, quam in populis ignorantia. Sed siue populus, sie et sacerdos. Nulla Christianæ doctrinæ catechesis; magna famæ verbi Dei, morumque barbaries, euangelii predicatorum diuturnum perniciosumque silentium; sacerdotibus, tamquam canibus mutis, præ imperitiis seu torpore in vita proclamare negligenteribus. Dies festi, stata jejunia, Sacramentorum usus ac ritus, divini cultus studia passim neglecta: Ecclesie squalidae et inculta nidorem potius obleant, quam nitorem: pauci admodum, qui articulos Fidei, Dei precepta, et alia ad salutem scitu necessaria rite tenerent. Conjugia illegitime inita, ac per incestas nuptias propagante familiae. Vigebant simulantes, odia intestina, et inimicitiae; maleficia passim, cedesque patrabantur. Denique illud sapientis inibi completum esse videbatur: "Cum prophetie" (hoc est, verbi Dei prædicatione) "defecerit, dissipabitur populus." Prov. xxix. xviii. Nam ubi sacerdos suo non funguntur officio, religio deficit, pietas populi corruit, christianique mores facile prolabantur: et dormiente, seu absente pastore, lupus rapit oves, gregemque dispergit.

sacerdotesque ad ecclesiasticum disciplinam,

22 Nulla in tota diœcesi sacerdotum collegia, nulla cathedralis ecclesia, episcopales ædes nullæ. Sed Alexander sive in diœcesi, sive extra, precario vel conducto uti cogebatur hospitio, donec ipse ære suo honesta sibi ac successoribus suis domicilia, ut dicimus, extruxit. Haec et alia plura incommoda nostrum exeperunt antistitem, que tolerabiliora fuissent, si sacros administratos,

quorum opera in pastorali munere, ut oportebat, uteretur, habere licuisset. Sed messis quidem multa, operarii autem pauci; et si quidem minus omnino, quam par erat, ad tantum opus idonei. Vereque dici poterat illud Prophetæ: "Parvuli petierunt panem, " (verbi Dei) " et non erat, qui frangeret eis." Thren. iv. iv. Itaque praeclera magna patientia, eximia fortitudinis, et apostolicæ caritatis argumenta Alexander non deerant. Sed nullis ille deterritus difficultibus, divino fretus auxilio, manum suam misit ad fortia; et nullis laboribus parcens aut vigiliis, ad hanc perpurgandam et excoledam sylvam vires omnes intendit. Idque tum ope divina, qua potissimum nitebatur, et quam assiduis precibus quotidianisque sacrificiis supplex implorabat, tum laboribus et exemplis, strenue praestare aggressus est.

23 Ac primum quidem sapientis secutus consilium, animalrum pastores admonentis, Prov. xxvi. xxiii, ut diligenter agnoscant vultum pecoris sui, gregesque suos considerent, universam diœcesim peragrare coepit, per jugam montium, per vicos et castella longum iter cum sudore pedibus saepe conficiens, per loca aspera et jumentis inaccessa, ubi quandoque accidit, ut sub dio pernoctaret, dum obrepente nocte per tenebras ad hospitia pervenire non posset. Ubi vero pagum esset ingressus, interim omissa corporis cura, ad ecclesiam primum, exemplo Salvatoris, pergere, ibique, si tempus ferret, convocato populo concionem habere, sacras confessiones audire, oblatoque divino sacrificio, quos a peccatis absolutos, paratosque visisset, sacrosancta communione reficeret: mox ipso, vel altero die sacram chrisma administrare, et ea, quæ opereret, in ecclesiis ordinare; divinum cultum, ecclesiasticanque disciplinam lapsam restituere, christianæ doctrinæ scholas instituere, sacerdotum populique mores emendare. In quo secum, ne quemquam aggravaret, quam paucissimos posset administratos perducebat: ac primo tantum die oblatum caritatis officium, quod magna frugalitate conditum volebat esse, a præsbyteris accipiebat. Sed si diutius immorari contigisset, id suis faciebat impensis. Et quemadmodum ipse in itinere, in visitatione, et ubique in victu, et necessario rerum usu parcus erat, in paucisque et quibuscumque rebus appositis contentus, ita suos domesticos, et ministros tales esse cupiebat: eosque ad ejusmodi fugalitatem horabatur.

24 Atque hæc quidem visitandi ratio illi solemnis fuit in omni loco, ac tempore, dum diœcesim peragraret; quam per partem fere omnem quotannis obire conuseverat. Neque vero solum ipse in hanc visitandi curam incumbebat; sed identidem regulares sacerdotes ex nostris, vel ex Eremitano Franciscano Cappuccinorum Ordine selectos viros in varias diœcesis partes dimitebat: quibus ipse viaticum, impensisque omnes præbens, (notebat enim tenues provinciae clericos onerare) visitandi rationem et documenta suggerebat. Ceterum christianæ doctrinæ scholas per vicos et oppida plures instituit, et optimis legibus ac moribus instruxit. Easdem ipsem frequentare, catholicæ Fidei rudimenta docere, sacræ munuscilis et pecuniis ad hæc omnes allicere, sermonibus et exemplis excitare non desinebat, factus omnia omnibus, ut omnes lucrificaret.

A. GABUTIO.

25 Inter alias autem, quas, ut primum ad episcopale ministerium accessit, diligenter exercere curas instituit, eam praecepue fuisse constat, in qua ad ecclesiasticam disciplinam sancte restituendam sacerdotumque vitam et mores componendos pastoralis in primis eluet industria. Intelligebat enim morum corruptelam et Christiani populi cœcitatem, ac ruinam ex saecorum hominum negligentiæ et ignorantia, et pravis exemplis potissimum pendere. Itaque diœcesanam synodum quamprimum habuit, et convocatos sacerdotes graviter admonuit munera eorum; et, quidquid ad divinum cultum ad que Christianos mores restituendos pertineret, diligenter constituit; idque per annos singulos diligenter præstít. Quo tempore, ut alias sepe, inopes sacerdotes ad synodum convenientes, vel alii de caussis ad se adeuntes, benigne excipiiebat hospitio et non minus optimis monitis et exemplis, quam necessariæ vita subsidiis instructos dimittiebat. Et quandoque, ut illis commodaret, lectuli sui stratum sibi subtraxit. Ceterum domus ejus universis, præsertim pauperibus, patebat hospitio, omnesque, prout poterat, magno caritatis ardore complectebatur; quippe qui didicisset ab apostolo, magistro suo, episcopum hospitalem esse oportere. Sed sacerdotes in primis aliosque sacris initiatos plurimum diligebat, honorabat et omni caritatis officio fovebat, et ab aliis reverendos curabat: eosque saepius admonebat, ut ea morum sanctitate et vita integritate ac doctrina, que Dei sacerdotes commendat, cunctis ad exemplum spectabiles sese exhiberent, et officium quicunque suum diligenter præstaret.

ANNOTATA.

a *De sanctissimo hoc summo Pontifice in Opere nostro ad 5 Maii actum est.*

b *Magna Italize in mari Mediterraneo insula, que hodie Francorum regi paret.*

c *Hujus sancti Sasimorum Antistitis Acta in Opere nostro ad 9 Maii sunt edita.*

d *In Beati nostri sepe citata Italica Vita sequentia reperiuntur:* Nihil intentatum neque Alexander, neque patres reliquerant, ut id impidirent. Primum enim S. Carolum enixe precati sunt, ut operam suam interponeret apud summum Pontificem, illumque conaretur a sententia deducere. Is ut precibus eorum, suaè simul diœsesis caussæ favere, litteras dedit III Idus Januar. MDLXX ad Ormanetum Praesulum spectatissimum, ac tum Romæ ejusdem S. Caroli procuratorem, quo etiam antea Mediolanii erat usus vicario generali. Eorum summa (non enim vacat integras referre, uti leguntur apud Gabutio) haec est: Gravissimum animi dolorem significat in primis, quem Alexander, et patres simul ceperant ex illa prorsus inopinata electione, iis potissimum de caussis, que in hoc capite indicantur. Tum addit S. Cardinalis, quam sibi pariter gravis esset Alexandri discessio, totique civitati incommoda, cui erat ille ad pietatem et morum disciplinam magno incitamento, et sacris lectionibus habendis, et confessionibus excipiendois, et aliis privatis officiis, et prudenti consilio, quo ego etiam (inquit) uti fere solo. Hæc omnia ut Pontifici representet, mandat Ormaneto, atque ostendat, quam gratum sibi et electo, et patribus faceret Pius, si Alexandrum

suec relinqueret congregationi. Quod si nihilominus suo in proposito persistaret, paratum esse Alexandrum ad eam crucem subeundam, quam offerret, imponeretque obedientia; nolle autem se impedire, quominus bonis hinc certo consecuturis ea Insula gauderet, quam et ipse putabat tali viro summopere indigere, qui posset gravissimis ejus necessitatibus prospicere. Interim patres Deum obsecabant assidue, ut quod magis expediret, Pontificis ideret menti: nec omisere de hac ipsa re scribere ad cardinalem S. Georgii Jo. Antonium Serbellonem, tum Ordinis nostri patrum. Sed cum redditus fuit cardinali epistola, actum jam erat. Plus siquidem divino Spiritu afflatus, quin per alios de Alexandri vita et moribus inquireret, expectaretque juridica testimonia, in cardinalium conventu Alexandrum Aleria episcopum, ceteris electionem comprobantibus, palam renunciarat. Quare licet Serbellonus ex patrum nostrorum Sententia, ex Institutî rationibus, ex electi difficultatibus suadere conaretur sanctissimo Pontifici, ut consilium mutaret; ille tamen in proposito hærebat semper magis, ac lætabatur, in invitum contulisse id muneric, in eumque, cuius operam tanto usui fuisse intelligebat et nostræ congregationi, et Mediolanensi ecclesie: hinc enim certo sperabat, salutarem æque futurum ei diœcesi, cuius ipsi curam demandabat.

CAPUT IV.

Clericorum seminarium condit: summa integritate ecclesiam suam regit: a Gregorio XV ad sedem Ticinensem promovet.

Sed cum optime intelligeret, bonos sacerdos tes ex bonis clericis fieri, et quales mores a puero homines imberint, eos fere in omni vita retinere, magnique referre in ecclesia Dei bonam adolescentium, qui se divino ministerio dediderunt, educationem curare; eorum collegium ex decreto Tridentini conciliij a, cum primum potuit, erexit, in quo, tamquam in perpetuo sacrorum ministrorum seminario, saltem viginti quinque, et item plures, si vires suppterent, bonæ indolis clericis optimis artibus, et ecclesiasticis disciplinis erudirentur. Quod quidem collegium in dominibus ære suo coemptis instituit, et annuis redditibus trecentorum aureorum de Mensa b episcopali in perpetuum instruxit, præter stipendum, quod per annos singulos magistro ipso, clericos edocenti, conferebat. Sed eos ipse paterna caritate complectens non modo per alios, verum etiam per se optimis disciplinis, et christianis moribus institui curabat, et quotidie ad se convocatos sacris institutis, et doctrinis erudiebat. Quos vero seu clericos, seu sacerdotes ipsum collegium capere non posset, eos saepè apud se diuturno hospitio benigne acceptos, singulari pietate ac patientia sustentans, necessariis disciplinis instruebat, donec ad sacra ministeria rite exercenda apti redderentur.

In seminario proprio ære constructo, clericos erudientes curat, atque

A. GABUTIO.

populum sacerdotumque cum verbis, tum libris, ase compotis, necessaria docet.

A 27 Ad hæc autem salutaria rerum bene ordinandarum remedia alia etiam adjunxit, quæ non solum assiduo verbi Dei prædicandi labore, sed etiam accurato, et apto ad rudium clericorum eruditionem, scribendi, docendique studio plurimum contulerunt. Nam ubicumque per diocesim reperiatur, cunctis festis præser-tim, aliisque diebus, saeppe bis in die con-cionem ad populum habere consueverat. Et que viva voce cunctos docere non poterat, curavit, ut ea scriptis a se tradita ac typis im-pressa commodius discere, meditari, et ad usum inducere nemo non posset. Itaque suc-cessivis horis varia opuscula christiana pietatis, ac sacrae eruditio[n]is plena conscripsit, quibus ea, quam tam populo, quam sacerdotibus, et clericis cogniti necessaria sunt ad salutem, facili quadam, ac plana methodo continentur. Idque præster pastorales litteras Apostolico spiritu scrip-tas, quas ad ecclesie sue clerum, populumque excitandum, et ad pietatem erudiendum, initio, ac deinceps passim promulgavit. Inter alia vero monumenta, Italica lingua ab ipso edita, in primis exstant, quas breves institu-tiones inscripsit, semel, et iterum auctas; et item synodalem Constitutionum volumen; de-nique doctrina Catechismi Romani, in dialogo ad simpliciorem facilioremque rationem redacta. Hos autem libros editos clericis, et aliis pie largiebatur ipse, et ad fructum ex iis capien-dum omneshortabatur. Quæ omnia se litteris mandasse dicebat, non ut novos ederet libros, aut actum agens, quæ ceteri auctores copio-se tradiissent, ea ipse repeteret: sed ut, qua-fuse, et perite in eo genere graviorum do-ctorum opusculis, præsentim sacri concilii Tri-dentini decretis, Romano catechismo, et S. Thomæ doctrina continentur, ea brevi, et facili quadam docendi ratione, ac via, rudium præcipue sacerdotum in gratiam, ediscenda proponeret. Ex quo quidem labore, quem sperabat, ad animarum sibi creditarum salutem, haud me-diocrem pietatis fructum illi perceperunt.

Summa integrata ecclesiastica beneficia conferunt, atque

C 28 Ceterum singularis ejus integritas, cum aliis multis in rebus, tum præcipue in confe-rendis sacris ordinibus, ac beneficiis, et in ad-ministrando jure, atque suum cuique tribuendo in primis enuit. Neminem enim vel ad sacros ordines, vel ad ecclesiastica beneficia, præser-tim ad curam animarum admittebat, nisi qui prius diligenter examinati ceteris virtute, et scientia præstant, et de quorum vita probi-tate extarent testimonia, in eoque ab omni genere munerum, sive a manu, sive a lingua, sive altero offerentur, diligentissime cavebat. Juris porro, et aquitatis vindex erat integer-rimus: dabantque operam, ut jus suum quisque retineret, et ut administristi sui ne quidpiam inique gererent, neque aliis injuriarunt, aut damnum inferri paternerunt, aut apud illos locum haberet personarum acceptio. Vicarium suum graviter increpavit*, quod permitteret cubicularium suum ab iis pecuniam accipere, quos ad audienciam d'admitteret, nihil dantibus repul-sis: et eorum multis rem scientibus testatus, id sibi valde displicere, jussit, ne vicarius id amplius paterneret, neque ab aliis officiis sui mercedem, aut sportulas acciperet. Suum enim esse eum remunerare, quippe qui justum du-centorum aureorum stipendum ei constituerat. Neque vero curiae sue cancellarii munus ven-

dere, ut solebant alii, umquam voluit; non ignarus illud scire dictum quandam fuisse: Qui emit, necesse esse ut vendat.

29 Multas, si quas ipse, vel ejus vicarius faceret, omnes vel ecclesiis, vel piis operibus applicabat. Quamvis eas raro faceret pro singu-lari sua clementia: qua fiebat, ut non pauci ea commoti ad meliorem frugem converterentur. In profanis autem controversiis, et in omni transigendo negotio, ubi ageretur de honore divino, neminem verebatur, sed cuivis in fa-ciem resistebat: ubi vero de sibi illatis injuriis res esset, nihil movebatur: sed potius alienis condolens miseriis, pro suis æmulis, vel offendis Deum rogabat e.

30 Cum republica Genuensi, cui subjecta Corsica f' est, nullam umquam habuit de ju-risdictione controversiam, quin etiam Genueneses tantum illi deferebant, ut judices, ceterosque Corsicas praefectos sine ejus consilio nihil gravius decernere constituerint. Ceterum in ecclesiastica dignitate, libertate tuenda, ac sacra jurisdictione retinenda, ut minime segnis, E aut connivens, ita neque pertinax, aut litigiosus, summive juris exactor fuit: sed pia quadam æquabilitate, et ecclesiastica clementia, ac benignitate ita se cum Reip. Magistratibus, Insulæque praefectis gerebat, ut citra contro-versiam ecclesia jus suum cum dignitate retineret: et illi sacrae potestati, quam deceret, obedientiam, et honorem sponte deferrent.

31 Itaque Genuenses cives præstantem ho-minis virtutem, et optimam ejus sacra jura ad-ministrandi rationem admirantes, singulari-que benevolentia complexi, ipsum ad Genuensem regendum archiepiscopatum transferri sæpe tentaverunt. Sed ille veluti alter S. Bernardus g ad eamdem ecclesiam olim electus, semper omnibus officiis, ne id fieret, obstitit; ratus, ut aiebat, non humanis studiis, sed divino consilio, per summum Pontificem, Dei vices agentem, declarato, ecclesiarum administrationes con-frendas esse. Præterea nolle se ad eam ecclesiam promoveri, ubi profana quedam negotia seu tollere, seu tollere ipse non posset.

32 Quin etiam cum anno sacro MDLXXV Ro-mam ad Gregorium XIII h, qui eum summo-pere diligebat, profectus, cum illo multa de ecclesiæ suæ statu, deque sacrorum ministro-rum, et adjutorum sibi supplendo numero con-tulisset, amicorum in urbe rogatu adduci num-quam potuit, ut a Pontifice se ad aliam me-liorem, ac commodiorem ecclesiam traduci, quod facile obtinuerat, postularet. Dicebat enim, id consilii divinæ providentiae relinquendum esse, nolleque se ecclesiam illam, primam spon-sam suam, quæm sibi divino nutu sanctissimus ille Pontifex Pius V motu proprio commisisset, licet incommodam, ac laboriosam, sua sponte deserere, ut ad commodiorem, ditionemque transiret; nisi id Deo placere per liberum Pon-tificis arbitrium constaret i.

33 Idecirco in Corsicam quamprimum re-versus (quamminimum enim posset Romæ com-morabatur) ad ecclesiam suam summa diligen-tia, labore, et industria regendam incubuit; donec, ut dicemus, ad Ticinensem ecclesiam translatus est. Interea vero commissum sibi Christi gregem, ut antea, et præclaris sanctitatis exemplis, et assidua verbi Dei prædicatione, et elemosynarum largitate, et optimis institu-tis

*jus admini-strat;**e
Genuenses, qui-bus semper ca-rus fuit,**ipsum ad ar-chiepiscopatum Genuensem re-gendum frus-tra invitauit.**Romæ anno sa-cro 1575 ab amicis, ut commodiorem a Pontifice se-dem peteret, sollicitatus, h.**in Corsicam fugit.*

A. GABUTIO.

tis bonus pastor erexit, et instituit, atque in salutis aeternae viam deduxit. In quo incredibile est, quos labores, sudoresque, et quas vigilias, quas ærumnas, et incommoda per annos unum et viginti in ea Insula, quasi in exsilio relegatus pro Christi gloria, animarumque salute pertulerit, præsertim affectu et ægra valetudine, et imbecilla corporis constitutione: qua fiebat, ut saepe ex pituita copia, febribus laboraret. Sed reliqua ab eo in Corsica gesta cum iis, quæ Ticini pariter gessit, quoniam ad eadem rerum, ac virtutum genera pertinent, ne bis eadem repeatantur, infra suo loco simul explicabimus *k*.

*Anno 1394 ab
Alerensi ecclesie,
populo la-
crymante, ad
sedem Ticinen-
sem*

l 34 Quod igitur ipse pro sua modestia postulare numquam voluit, id pro meritis ejus postea Gregorius XIV. *l* Romanus Pontifex, qui homini virtutes, et merita non ignorabat, summis viris, bonisque approbantibus, prestatre sua sponte statuit; eumque ad regendam Ticinensem ecclesiam revocavit anno MDXCI. *v* Idus Maii. Fuit hæc singulari benignissimi Pontificis beneficio facta translatio, Alexandre non B incommoda; immo senescenti homini apta prorsus, et opportuna, atque ut Ticinensisibus universis, Insubribusque *m* populis longe gratissima, ita non solum Alerensi ecclesie, sed omnibus etiam Corsicæ episcopis, et plebibus, quibus magnum Christianæ discipline lumen, atque præsidium subducebatur, acerba valde plenaque doloris. Lugebant Corsi optimi presulsi, amantissimique parentis jacturam, et absentiam; ac tamquam oves amissio pastore balantes, ne Christianum gregem jam bene dispositum lupi dispergerent, verentes conqueabantur. Dolebat et ipse pastor carissimos sibi filios, quos in Christo generat, et tot, tantisque laboribus ad pietatem informaverat, quasi oves errantes deserere. Ticinenses vero se præstantissimum sacrorum antistitem, et quem vehementer optabant, utpote jam diu sibi cognitum, et probatum spiritualis vite ducem, nactos esse gratulabantur, maximisque Deo, ejus studio, et opera ecclesiastica disciplina, christianaque res in ea ecclesia, ac civitate optime C constitueretur.

*a Gregorio
XIV Papa
transfertur,
et a Ticinensi-
bus summis
honoribus ex-
ceptus, mortem
suam predicit.*

35 Successit Alexander Hippolyto Rubeo episcopo, cardinali tituli S. Blasii nostri de anno Romæ, ubi ipso anno MDXCI sepultus est; qui Ticinensem ecclesiam per annos fere triginta magna cum laude administravit. Ceterum quemadmodum urbs Tinicensis inter præcipuas Insubriæ civitates, et originis antiquitate, et nobilitate civium, et situs amoenitate, et libertate rerum, et publice scientiarum academia, et (quod caput est) Catholicae Religio- nis cultu celebris in primis, et insignis habet; ita illius ecclesie episcopus, Sedis Apostolicæ beneficio, sacri Pallii gaudet honore, Romano Pontifici immediate subjectus. Ad hanc igitur regendam ecclesiam Alexander venit ipso anno XII Kal. Novemboris, vacante Romana Sede ex ejusdem Pontificis obitu: summisque honoribus a Ticinensis exceptus, omnium animos magno quidem, sed brevi gaudio complevit, post annum, ut dicemus, obiturus. Quos ipse honores civium humanitate, et munificentia delatos sustinens, humanarumque rerum fragilitatem, et mortalitatis suæ vicem considerans, dum solemni pompa urbem iniret, obortis la-

crimis, quasi futura præsagis: Hæc, inquit, D gaudia post annum in luctum convertentur. Predicationem, ut mox dicetur, probavit eventus. Nam anno vix evoluto, ob ejus decessum extrema gaudii luctus occupavit.

36 Hujus igitur ecclesiæ, ampliæque dioce- sis administratione suscepit, ad eam verbo et opere pie instituendam diligenter incubuit. Clericorum disciplinam ex parte lapsam restituuit, operamque dedit, ut omnes pie, casteque viverent; beneficiarii residenter; divina officia, qua decet, pietate recitarent: qui vero curam anfimarum gererent, eam, qua par esset, sollicitudine, et caritate præstarent. Ecclesiæ de- corem, et ornatum augendum, et ubi divinus cultus neglectus esset, restituendum curavit; cavitque, ne in templis profanis colloquiis, aut inanibus, sacræ loco indignis actionibus quispiam intenderet; neque pro foribus cathedralis ecclesiæ merces, aut cibaria venderentur: ecclesiæ ipsam sacris, pretiosisque dona- riis, et sacerdotialibus indumentis, argenteisque vasis ad divinum cultum instruxit.

*In hac dioecesi,
quæ ad clericos*
E 37 Ibi summo mane nocturnis, pariter que diurni precibus, præsertim festis diebus, nisi graviter impeditus, una cum canoniciis suis primus intererat; sacreque Psalmodiae devote, et attente operam dabant. Neque ad id impedi- batur interjecta satis ampla, et aperta platea, quæ episcopium *n* ab ecclesia disjungitur. Sacras conciones paternæ caritatis, salutarisque doctrinæ plenas de suggesto sepius habere, Christianæ doctrine scholas visitare, lapsas erigere, erectas fore, et ad meliora provehere; pauperum curam, de qua infra plura scribemus, summa caritate gerere; edicta præterea, decreta, ac pastorales epistolæ, que exstant, ad clero- rum, et sacras Virgines, et ad populum, quibus sacra, et Christiana disciplina optimis documen- tis restitueretur, ac restituta conservaretur, op- portune promulgare non destitit. Varias deni- que corruptelas, et depravatos mores, qui in eam civitatem, ac dioecesim, ut est humana fragilitas, passim irreperserunt, summa vigilancia repressit. Hæc autem et alia curæ pastoralis of- ficia prestans Alexander, præclara cum epis- copaliu, tum ceterarum quoque virtutum pot- steris reliquit exempla, de quibus nonnulla se- F se offerunt, quæ cum alium scribendi ordinem postulent, ut magis im promptu sint, ea parti- culatum deinceps referre non ab re fore putati- vimus. Ac primum de ea, quæ ceterarum vir- tutum fundamentum est, quæque in eo maxime enituit, sublimi humilitate, et mansuetudine agendum videtur.

ANNOTATA.

*a Vide hujus concilii sessionem 23 de Re-
formatione cap. 18.*

*b Hæc vox episcopalis sedis patrimonium,
cujus redditibus vitæ necessaria episcopus
sibi comparat, significat. Vide Cangii Glossa-
rium.*

*c Ex summario processus, ad Beati nostri
beatificationem a Romana Sede impetrandam
instructi, sequentia hujus vitæ editor, quæ ci-
tati libri cap. xiv a pag. 48 ad 54 habentur, ex-
cerpsit: Ad hoc munus prædicandi verbi Deicum
sacra eruditio, usque assiduo, tum Spiritus
Sancti affluat, et gratia comparatus incredibile
est, quantum ad se frequentiam auditorum per-
traheret, quotque in iis pareret fructus æternæ
vitæ*

A vita. Agi prope aëstu divino videbatur. Itaque in Deum vultu oculisque saepe erectum suspiciebant auditores. Quin exclamare identidem solebat, vi percitus ardentissimæ caritatis, nihil sibi jucundius fore, ut eveniret, quam si in suggestu animam efflaret; dum presentis vita suajecta vel unius periclitanti anima subsidio posset esse et salutis. Sed nullum praedictum de ejus vere sacro dicendi genere testimonium adferri potest, quam quod dicit Petrus Antonius Confalonieri Patricius Ticinensis. Is enim Franciscum Panigarolam, episcopum Astensem creatum, in eo gradu dicentem cum audivisset, admiratus ex eodem quæsivit, cur adeo immutasset suam pristinam dicendi rationem. Sibi autem sapientissimum antistitem respondisse testatus est, auctore affini ejusdem Confalonieri Alexandro Saulio (qui erat avunculus Hippolytae Brrippiae conjugis Petri Antonii) illud perorandi genus didicisse atque ex eo intellexisse, se ante in hoc munere bubulum egisse, tum conari, ipso magistro, verba facere, uti pastorem deceret. Idem porro sibi in congressu

B de se confirmasse Cardinalem Fredericum Borromæum, hoc pastorali dicendi munere excellensissimum, accepisse scilicet ab Alexandro, qua ipse utebatur, eloquendi rationem, Confalonius in eodem iudicio pariter declaravit.

d Hac voce hic exprimitur tempus, quod episcopi et principes subditis audiendis impendunt.

e In citato statim Processus summario cap. xxxi, pag. 122 et seq., teste laudato hujus Vitæ editore, sequentia leguntur: Cum ad fontem quemdam cœnasset Alexander, editum in locum et prominentem, unde presul lapidibus adpeti atque opprimi facile posset, clam ascendet nefarius adolescens, quem ob vitæ licentiam et obduratam suis in criminibus pervicaciam e seminario ejecerat habituque clericali privarat episcopus. Ille præceps animi furore, vindictæque stimulis concitatus, in S. Antistitem sub rupi sedentem saxa demittere adortus est, ingentemque lapidem ita in ipsum libravit, ut directo in caput proruens, gravi impetu altoque casu fregisset Alexandri cervices, nisi ope divina liberatus esset. Nam lapis leviter naso allabens

C in pedem sine noxa decidit. In scelestum plures ex Alexandri familia, impetum fecere, ac jam circumseptum nunciant in episopi esse potestate, ejusque nutu in vincula conjiciendum. At ipse nihil tam gravi injuria commotus, imperat, ut illum abire liberum et incolumem siellant: mox, quam ipse ex animo donabat, veniam reo ab insulae gubernatore suis officiis impetravit.

f Hæc insula, de qua supra in Annotatis fuimus locuti, tunc temporis adhuc Reipublicæ Genuensi subjecta erat, hodie vero sub regis Galliæ ditione est.

g Hujus Sancti Acta in Operè nostro ad 20 Augusti diem consule.

h Hic S. Petri Sedem ad anno 1572 usque ad annum 1585 occupavit.

i Ex Italica Beati Vita sequentia Onuphrius Branda subjicit: Romæ cum esset hoo anno sacro, feria quarta post Sexagesimam Alexander inter Cardinales et alios Ecclesiæ præsules pontificem comitabatur in supplicatione ad septem urbis basilicas instituta. Ad S. Laurentii extra muros pervenerant, cum forte in Octobris Tomus V.

P. Philippum Nerium, Congregationis, quæ A. Gabutio. Oratori nuncupatur, auctorem, nunc inter Beatos adscitum et miraculorum gloria prefulgentem, inciderunt, qui cum magna et honestissima hominum frequentia eodem procedebat. Hic cum optaret Philippus, ut quispiam ex Pontificis comitatu ad nobilem illum conventum pietatis ardore vehementius incitandum, brevem aliquem sermonem haberet; Pontifici desiderium suum aperuit suasitque, ut id muneris Aleria episcopo, amico suo atque ad dicendum maxime idoneo, committeret. Lubens ejus verbis acquievit Pontifex, atque Alexandro, ut onus susciperet, mandavit. Pro sua is repugnabat modestia, pretendens se minime paratum esse, nec satis aptum ad illud officium ex tempore subeundum. Sed, cum facere non potuerit, quin urgenti Pontifici obtemperaret, verba ipse fecit pro temporis opportunitate eo spiritu, eaque caritate et dulcedine perfusa, ut divino omnes amore succensos dimiserit, Deumque summis laudibus efferentes ac magna voce prædicatorum Alexandri modestiam, eloquentiam, sanctitatem. Nec tum solum, sed quoties Romæ moraretur Alexander, sacra ejus dicendi ratione summopere delectabatur Philippus Nerius. Quare pro veteri consuetudine et familiaritate, qua erat Alexander Philippo, sui et totius Congregationis nostra amantissimo, conjunctissimus, quamvis esset plurimi negotiis Romæ distensus, ab illo tamen rogatus quinta quoque feria ad ejus Oratorium adibat, ibique ad populum ex Nerii instituto familiarem habebat sermonem, sed tanta animalium caritate tantaque fluentem gratia, ut omnium auditorum animos reficeret pastu verbi Dei suavissimo.

k Supplendum hic est, inquit hujus Vitæ editor, integrum caput, quod Gabutius in Italicum insertum codicem inscribitur: "De amore et observantia universæ diocesis erga Alexandrum." Antequam finem iis imponamus, que Alexander egit in Corsica, commemorare par est amorem et reverentiam, qua populus omniset sacer ordo universus pastorem hunc suum amantissimum prosequebantur, quantique facerent pastorales ejus labores, unde uberrimos fructus referebant omnes. Nam ut ipse prodesse omnibus conabatur, ejusque omnes evigilabat curæ in procurando singulorum salute; ita nemo erat, qui non ipsum unice diligenter atque observaret. Pastorem alii vigilansissimum, alii pauperum Patrem, alii Angelum, ad ipsos e cælo delapsum, omnes autem Virum Dei, Hominem sanctum, optimum Christianæ disciplina Magistrum appellabant. Sed, quam carum haberent Alexandrum sue diocesis incolæ, numquam clarius significarunt, quam cum ab aliis vehementius expetebatur. Genius procerus jam prope impetraverant a Sexto V., quod olim sub Gregorio XIII. contenderant, nimis ut Alexandrum ad eorum urbis archiepiscopatum traduceret. Ejus rei fama cum in Corsicam perlata esset, Clerus populuse Aleria vehementer hoc nuncio percusus, ut nihil omittaret, quod sua esset in potestate, supplices litteras ad summum Pontificem communis nomine conscriptas dari curavit, quibus avertere a sententia Sextum conatur. Harum exemplar ad verbum adducit Gabutius: nobis earum summam perstringere satis erit. Unius Alexandri, que denunciabatur, jactura omnia

A. Gabutio. perdita et profligata sibi fore collacrimantur. Maximum beneficium ad vite solatium atque ad animarum salutem difficillimis temporibus a Deo illi dioecesi concessum, ne per ejusdem vicarium ipsis præcipiat, rogant obsecrantque. Commemorant, duos quantosque tulerit labores, quam ingentes fecerit sumptus, quot sacras aedes vel refecerit vel a fundamentis excitaverit, quam sollicite curaverit, ut ecclesiasticam disciplinam penitus collapsam et religionem ipsam jam prope concidentem sustentaret atque erigeret. Addunt, neminem post hominum memoriam eo sacram administrationem perduxisse, quo Alexander assidua verbi Dei predicatione, frequenti Sacramentorum usu inducto, crebrisque locorum lustrationibus et exemplis vita sanctissimæ provexerat: sed florere adhuc et adolescere tam uberm prouentum sub egregio cultore; ipso autem sublatto, direptum iri. Pergeunt deinde ad omnia beneficentias et liberalitas genera, quies pastor optimus, sua redditus ecclesie, magna ex parte in pauperum subsidia et calamitatibus saepè ingruentium levigationem erogabat. In maxima annonæ difficultate, qua semel atque iterum tota insula extrellum in discrimen vocabatur, unam evigilasse episcopi providentiam, qui nisi ex Continenti subsidia omnis generis advehenda curasset, et multo acerbior famæ fuisse et plurimos consumpsisset. Onera ab aliis imposita per ipsum condonata: Curia administratos episcopi stipendio vivere satis honeste, neminem gravare. Infinita demum esse effusissime beneficentias genera, quibus is vere communis, pauperum Pater sibi omnes obstrinxerat. Post divinam clementiam Alexandro debere se omnia, sibi nihil in terris spei reliquum esse. Concludunt, non tam sedolere vitæ praesentis incommodes, quæ Alexandre erexit sibi videbant impendere omnia, quam animarum et æterne vita discrimen perhorrescere, in quod se adduci sentiebant, nisi Pontifex sanctissimus Pastorem ipsis suum, ut suppliciter orabant, benigne concederet. Sixtus his precibus permotus admiransque Servi sanctitatem et his temporibus raram admodum cleri populi erga suum Episcopum amoris et observantiae consensionem, noluit tam utili et caro

C Pastore gregem illum destituere.

1 *Gregorius XIV a 5 Decembri anni 1590 usque ad 15 Octobris anni 1591 Pontificatum tenuit.*

in Insubres, populi Gallie Transpadanæ, quibus ad Septentrionem contermini erant Orobii, ad Orum Cenomani, a quibus Addua fluvio, teste Baudrando, divisi fuere: ad Occasum vero Lævi; ad Meridiem denique Ligures, illos ab Insubribus Ticino flumine, has vero separante Pado. Accessere postmodum Insubribus Lævi. Sicque eorum urbes fuere Mediolanum, regionis caput et Laus Pompeia, uti Novaria et Ticinum, quæ sub Lævi prius censebatur. Insubria, nunc il Ducato seu lo stato di Milano ab incolis, le dueché de Milan a Gallis appellari solet.

n *Id est, episcopi domus seu palatium.*

D CAPUT V.
Ipsi præcipuae virtutes, humilitas, mansuetudo, in Deum pietas, ac religio.

Hæc igitur virtus, in qua, teste S. Bernardo a, omne aedificium spirituale constructum consistit et crescit, queaque, ut idem adjicit, nulla splendidior gemma, præcipue in ornato Pontificis, emit, in Alexandro sic effulxit, ut, quo dignitate celsior ceteris, eo humilitate appareret illustrior et se ipso. Hac fiebat, ut, quemadmodum de Deo altissime ac honorifice de alius, ita de se humilius sentire ac loqueretur; et, quicquid esset, aut ageret boni, id omne ad gloriam Dei ubique referret. Hinc ægre, ferebat, si quid audiret, quod ad laudem suam pertineret. Sed ne repetamus ea, quæ de religiosa ejus animi submissione atque modestia supra retulimus, illud ex multis ejus ad præpositum S. Barnabæ datis epistolis satis constat; in quibus, dum esset episcopus, ejus se humilem in Christo filium vel minimum et indignum hujus Congregationis membrum appellabat. Ad nostra porro collegia Romæ, Mediolani Ticinique, tamquam, ut ipse dicere solebat, in amantissimas parentis gremium et tranquillum religiosæ quietis portum, se se, quoties per episcopales curas licet, libertissime recipiebat; ut collectis viribus ad pastorales labores vegetior rediret ac firmior. In quo mirum, quanta esset ejus humanitas religiosa submissio. Tamquam unus ex aliis regulari servare disciplinam, superiores reveri, affabilem atque humilem se se omnibus exhibere, humillima quoque ex instituto obire ministeria, omnibus omnia pietatis, mansuetudinis et caritatis exempla præbere. Denique in vici, in cubiculo et in omni corporis cultu nihil extra aliorum ordinem sibi dari patiebatur. Sed factus sibi parvulus in medio fratum, F quanto major erat in conspectu Dei et hominum, tanto magis se submittebat in omnibus.

30 Ceterum regularem vitam in episcopatu dicens, omnia religionis, quam professus erat, instituta, quoad ejus conditio et dignitas ferret, diligenter servavit; et, quam a prima etate præ se tulerat, modestiam, virginalem pudicitiam ac morum integritatem, perpetuo tenuit. Nihil in verbis asperum, nihil incompositum in actu, nihil in jussu videres imperiosum, ac sicut nihil in humilitate vile, ita nihil in moribus sordidum, nihil in gravitate superbum. Sed ita submissionem animicum gravitate temperabat, ut simul præ dignitate reverendum ac præ humilitate cunctis esset amabilis. Faciles ad eum patet aditus, omnibusque, quantumlibet abjectis, hominibus benignè prebebat aures. Mandaverat ministris suis a cubiculis, ne quendam, licet infimi ordinis, excluderent; sed, si quis ad se vereretur accedere, eum ipse humaniter advocabat, et patienter, donec ille vellet, audiebat; neminemque ab se tristem aut male acceptum, quantum in se erat, unquam dimisit. Eximiam ejus

*In episcopatu
constitutus, cur
egit humilitas:*

a

patientis,

A jus in familiares et administratos aliosque patientiam ac mansuetudinem ipsi admirabantur. Ex iis quidam, qui in episcopatu ei perpetuo deservierant, jurejurando confirmarunt, se in eo nullum, umquam excandescentis animi signum animadvertisse: licet ministri, ut fit, aliquando errarent, nihil tamen eum perturbabat. Hanc ipsam patientiam humilitatis sociam, dum ægrotaret, præcipue demonstrabat: quam administri suspicentes, nihil ab eo querelarum se umquam audivisse, testabantur. Sed sive languorem, sive male conditos cibos, sive ministrantium incuriam, omnia patienter de manu Domini cum gratiarum actione suscepiebat.

*et temperantia
in vietu etiam-
etu exempla
præbet.*

40 Ceterum paucis contentus, corporis sui curaum negligebat potius, quam ut genio nimis indulgeret. Victus simplex ac temperatus uno vel altero ciborum genere. Vestitus pro dignitate modestus: sericam vestem extra divina officia numquam adhibuit, sed laneis indumentis, ut plurimum nigri coloris, induebatur. Simplex et vulgaris lectulus, non plumeus aut ornatus conopeo, sed ex viliore constratus tomento. Cubicula non inanibus tabulis, non prosanis picturis aut pretiosis auleis, sed sacris tantum imaginibus instructa. Nobili viro gentili suo eum cohortanti, ut pulchris tapetibus domus sua cubicula vellet exornare eosque se ex Hispania curaturum pollicenti respondit, "malle se Christi pauperes, quam parietes, con vestire." Non enim, inquit, "in magno illo judicio a nobis requiret Christus, si parietes, sed si pauperes ejus nudos, ipsum representantes, operuerimus." Paucis ille quidem verbis, sed iis semper de rebus salutariibus et seruis, utebatur, nihil fere proferens, quod non vel ad honorem Dei aut ad suam aliorumve salutem pertineret. Itaque ubicumque daretuocasio, quam ipse sepe captabat, de vita pie instiuentia, de recto Dei cultu, deque aliis rebus ad salutem necessariis disserebat. Otiosa colloquia et inanea, coque magis perniciosos et indignos sermones coram eo miscere audebat nemo. Denique ingenitam sibi morum gravitatem cum eximia animi moderatione perpetuo tenens, ubique ab omni rerum humanarum fastu atque ambitu alienum se demonstravit.

C 41 Gregorio XIV summo Pontifice creato, pro veteri sua in eum necessitudine singulariter benevolentia letatus est vehementer. Erant enim ambo mutuo amore, et parentum amicitia, et propinquorum affinitate et studiorum similitudine conjunctissimi. Verumtamen ab ipso Pontifice neque divitias, neque honores aut humani quidpiam aliud umquam ambiit aut petit. Quin etiam obediencia et officii causa Romam profectus ab eodemque Pontifice humaniter acceptus, ei, in Cardinalium numerum se velle ipsum legere designati, respondit: se quidem nihil minus optare; sed potius, ut apostolico concessu in religionem suam redire sibi liceret. At vero Pontifici Gregorio, si vita sibi suppetisset, eum in amplissimum patrum collegium adsciscere, jam erat constitutum. Sed, Deo alter providente, ad curandam ecclesiam Ticinensem sibi, ut diximus, commissarum, quamprimum Romanas demigravit, Cardinalatusque honorem propinquis suis minoribus natu reliquit, nempe Antonio Saulio, patrueli suo, jam a Sixto V. delatum, et Alphonso vicecomiti Mediolanensi, Luciæ sororis suæ filio, a Clemente VIII. postea collatum,

qui duo Cardinales, præclara Romanæ Ecclesiæ lumina, prudentia ceterarumque virtutum splendore postmodum claruerunt.

A. GABUTIO.

*ad pristinam
religionis obe-
dientiam anhe-
lat.*

42 Verum Alexander non ad altiores dignitatibus gradus, sed ad pristinam religionis obedientiam et ad humilem pre Christo subjectiōnem, veluti alter Gregorius Magnus, anhelabat. Cum aliquando ad Ticinense collegium nostrum patres *d* Congregationis visitatores munus suum obituri pervenissent, ad ipsumque episcopum amoris et officii caussa et reverendum accessissent, ad quid Ticinum venissent, rogavit: illisque se collegium illud visitandi gratia advenisse significantibus, humilis Praesul ingemiscens, "Utinam", inquit, "ego quoque vestra subjectus essem visitationi, vestroque meo judicio corrigeretis." Simile quiddam accidit, cum aliquando nobilis nostri Ordinis juvenis, ut clericus fieret, ad eum missus esset ac rogatus, quid sibi vellet, se ad exequenda superiorum jussa venisse respondisset; gemens episcopus: "O te felicem", inquit, "utinam ego quoque tali subjectus essem obedientiae." E

43 Ceterum cum insigni hac humilitate conjunctus erat singularis quidam animi candor morumque sinceritas, ut in eo nihil cerneret fictum, nihil simulatum. Huc accedebat egregia quadam animi magnitudo et eximia in Deum fiducia, qua fiebat, ut, quamvis esset natura pavidus, magnis tamen in periculis et rerum difficultatibus divino fretus auxilio nihil trepidaret. Rem dictu parvam, sed, quæ ad hanc fiduciam indicandam pertinet, silentio non præteribo. Accidit semel, dum esset in Corsica, ut ex nostris, sine quibus ægre vivebat, secum haberet neminem, licet socium per litteras sibi dari a patribus postulasset. Qua de re ad Paulum Mariam Homodæum, tunc collegii Mediolanensis præpositum, se, quem ad ejus vota mitteret, sacerdotem in promptu non habere excusantem, Alexander in hæc fere verba respondit: "De summa rei" (de qua nempe dimicimus) "illud tantum præscribam, omnia mea de manu Domini aequo animo suscipere; et quando non modo in Corsica, sed etiam in deteriore loco, sine socio permanere me oportet, Deo Domino confido; eum mihi semper affuturum; neque umquam deserturum pro F

*Divino auxi-
lio fretu:*

"divina sua providentia, qua cuncta sapientissime me disponit." Sed paulo post ad eum ex nostris missi sunt, qui studio et opera eum adjuvarent atque illi continenter assisterent. e

*naufragii rape-
rictula non for-
midat.*

44 In periculis vero, cum alias sepe, tum præcipue, dum aliquando a Sextio, Papiensis diocesis oppido, Papiam per Ticinum amnum linter devehheretur, se intrepidum, divina protectione nixus, ostendit. Nam ubi ex profluentis alveo aqueductus Mediolanum ducens derivatur, parum absfuit, quin navis aquarum raptæ divortio impetuque in transversum aggerem illisa, facto naufragio, vectores obrueret. Quo in periculo cunctis perterrefactis, unus Alexander constanti animo, celesti auxilio suppliciter implorato, trepidantes confirmavit: Deo fidearent, se incolumes integra navi periculum evasuros. Quod cum illico factum illi vidissent, omnes una cum ipso divina clementia gratias egerunt, pluresque precibus ejus, ac meritis tam singulare beneficium Deo acceptum retulerunt.

45 Hui autem, solido vera sanctitatis fundamento in humilitate posito, eximia ceterarum virtutum inhærebat altitudo, quæ Alexandri animam

A. GABUTIO.
Non de singu-
lis at precipua-
Beati virtuti-
bus se nunc
scripturum,
auctor hic in-
dicat.

Quotidie divi-
num Officium
aperto capite
legere, confite-
ri, Missamque
in qua spe-
mentis excess-
um passus, re-
lebrare solet;

f

Hebdomadam
sanctam in je-
junio et oratio-
ne traducit.

animam et virtutem coram Deo et hominibus mi-
rifice decorabant. Quibus de singulis hoc loco
scribere, longum esset, sed neque mea facultatis
atque propositi; cum præsertim non laudatio-
nem, sed historiam ad exemplum simpliciter te-
xere sit in animo; eaque virtutum, atque ho-
minum iis præstantium sit conditio, ut longe
plura, majoraque ornamenta lateant intrinsecus,
quam ea sint, que foris apparent; ut non im-
merito de anima sancta Propheta cecinerit:
Omnis gloria ejus ab intus PS. xliv. xv. In Ale-
xandro igitur, ut alia prætereamus, præter illa,
que diximus, præcipue videntur eminere sin-
gularis in Deum pietas, atque devotio, summa-
que in omnes caritas et in pauperes misericor-
dia. De quibus nonnulla, que potiora sunt,
deinceps ordine memorabimus.

46 Honoris ergo divini studio ita servebat,
ut ad gloriam Dei longe lateque propagandam,
et omnes ad ejus cultum excitandos assidue vi-
gilaret, nullisque laboribus pacaret f. Divinum
officium statim horis quotidie aperto capite atque
ut plurimum flexis genibus, singulari devotione
et quandoque totum Psalterium, vel Psalmos
ad pœnitentiam pertinentes recitabat. Sacrosan-
ctum Missæ sacrificium, nisi valetudine impe-
ditus, diligenter cum sacre confessionis, tum pia-
rum precum præparatione celebrare numquam
intermisit. In quo sapientis excessum in divina
raptus patiebatur. Quare voiebat, ut sibi ad al-
tare ille tantum sacerdos assisteret, quem ipse
suæ consuetudinis conscientia diu familiarem ha-
buerat: qui ei celebranti divinæ patienti et ad
se reverso, quid in sacra actione sequeretur, in-
dicabat. Hunc autem mentis raptum quandoque
etiam inter concessionandum patiebatur; præser-
tum cum de Deo rebusque caelestibus ardentius
verba faceret.

47 Sacram Christi Domini Salvatoris nostri
Passionem pia meditatione recoilebat omni qui-
dem tempore, sed potissimum per eos dies, qui-
bus tanti beneficiorum memoriam annuo ritu ante
Pascha Ecclesia Sancta concelebrat. Quibus die-
bus severiore se abstinentia macerans, ad panem
solum adhibebat pullem ex oryza farina, sale
tantum conditam, omissa refectio vespertina,
in orationeque diutius persistebat, in qua coram
C Sanetissimo Sacramento, in consueto sepulcri
simulacro reposito, quandoque pernoctabat. Ac
divinis officiis absolutus, episcopali capitulo usque
ad oculos cooperitus, lugubris vestimenti cau-
dam trahens, pī mœroris causa, et templo gravi-
cum silentio discedebat familiamque suam ad
ipsam Dominicam Passionem pie per eos dies
celebrandam verbis, et exemplo horتابatur. Fe-
ria quinta in cœna Domini presbyteros omnes,
qui ad olea sacra cum eo rite confiencia con-
venissent, benigno convivio secum excipiebat: pauperibusque duodecim ad exemplum Salvatoris
lavabat pedes eosque deosculabatur; ac
cibo potuque recreatos, pecuniasque sublevatos
dimittebat. Per eosdem dies Psalterium aperto
capite, et sexta quoque feria per annum Domini-
cæ Passionis historiam ex Evangelistis alterna-
tum, statasque preces de sancta Cruce quoti-
tie pie recitabat.

48 Ceterum in omni vita, mente in Deum
sublata, quod ab actionibus necessariis et a sa-
cra studiis supererat temporis, ut in oratione
consumebat. Nam per noctem horis quatuor,
vel ad summum quinque somno, et quieti da-
tis, in quibus etiam sœpe psallere et cum Deo

colloqui audiebatur; ante lucem quotidie sur-
gere, ac per se vestibus indutus, sine ministro,
sine lumine, in sacellum cubiculo vicinum se-
cedens, ibi per horas binas vel ternas silentio
diviniti meditationibus intentus, positis genibus,
immobilis persistere solebat. Ubi quandoque
de nocte orans, oculis ac manibus sublatis in
cælum, magno splendore circumfusus inventus
est, et visus a sacerdote, qui ei ministrabat:
qui haec et alia jurejurando de illo testabatur g.
Sepe præterea vel in horto vel alibi solus in-
ambulans, oculis in cælum intentis, mox ni-
xus genibus, mente in Deum rapta, ita diu
consistebat, ut ad se accedentes non adverteret.
Porro ad vesperam per horam saltem, in idem
orationis studium incumbebat. Denique sanctis
hujusmodi meditationibus ac precibus tam as-
siduus erat intentus, ut ejus animus in Deum
perpetuo ferri videretur, dicereque cum Apo-
stolo posset: "Nostra conversatio in cælis est."
Ad Philipp. iii. xx. Quod tamen eum ab actioni-
bus ex officio necessariis, aut ab attentio-
ne humanis debita negotiis non revocabat.
Intelligebat enim, se tamquam Dei legatum in E
terris esse ab eo constitutum, episcopaleque sibi
onus impositum humanis viribus sustineri non
posse, nisi ope consilioque divino: propterea ad
colloquia cum Deo sepe sibi configendum pu-
tabat; cum ut tamquam legatus ab eo disceret,
quid cum populo sibi credito ad divinam ex-
quendam voluntatem agere se oporteret, tum
etiam ut vires ad omnia sancte peragenda ne-
cessarias impetraret, Deumque sibi et populo
propitius redderet et conservaret.

49 Sed ejus pietas religiose singulari Chri-
stianæ humilitatis exemplo cum aliis multis in
rebus, tum præcipue in publicis supplicationi-
bus enuit. Ex quibus ex fuit memorabilis; cum
summus Pontifex ad implorandam opem divi-
nam in variis Ecclesiæ difficultatibus amplum et
generale Apostolicæ indulgentiae promulgasset
editum, quo fideles omnes ad salutarem pœni-
tentiam et ad alia pietatis studia, quibus placatur
ira divina, provocabat; Alexander, ut per
ejusmodi solebat occasiones, id, quam maxima
potuit pietate, exequendum curavit: indictaque
supplicatione, in Balania, quæ Corsicæ provin-
cia est in sua diocesi, ab uno ad alterum tem-
plum satis remotum, aspero lugubre habitu,
nudis pedibus, fune de collo pendente, gran-
dem gestans crucem, oculis in Christi Salvato-
ris imaginem intentis, orans processit. Cujus
exemplo commoti omnes, optimi pastoris sui
vestigios discalecati et precantes institerunt. Ad
quis ille cum ad stationis locum pervenisset,
gravem concessionem habuit. Ac licet ex pede in
itinere læso, sanguis cum dolore proflueret cor-
pusque sudore manaret, nihilominus omnia pro
Christo libenter sufferens, curam sui, donec
opus Dei absolutum esset, patienter distulit. h.

50 Ceterum ad divinum cultum ecclesiasti-
camque disciplinam, ut diximus, restituendam
et conservandam, summum studium semper ad-
hibuit. In ecclesiis nihil sordidum, nihil inde-
corum, aut indigenum tolerabat. In iis qæ cleri-
corum aut sacerdotum incuriam ubi delinque-
rent, corrigebat. In reparandas sacras ædes ac
novas ædificandas easque decenter ornandas ma-
gnos sumptus fecit. Duo aureorum milia semel
impedit in comparanda sacerdotalia, et ecclie-
siastica vestimenta serica, auro, argentoque con-
texta, quæ postea variis diocesis sue ecclesiis
in

Semper, tunc
multæ negotiis
impliebat
memorem
Deo inten-
tum habet, et
interdum ex-
cessi luce per-
funditur;

publicis suppli-
cationibus ma-
xima devotione
interest;

magnam pecu-
niam summan in
restaurandis
ornandis et
ædificandis
ecclesiis con-
sumit:

A in Corsica, prout magis indigebant, liberali pietate largiebatur. Quod incredibile non videbitur scientibus, episcopales redditus ejus, qui decimis constabant, aucta suo tempore agricultura, ad sex fere millio aureorum exerevisse. Inter alias sacras aedes, quas erexit et exornavit, existat ibi sedis episcopalis nobile templum apud Campilorum, in eoque sacerdotum collegium ab ipso institutum: quibus singulis quinquaginta annos aureos annuos in perpetuum ex illius ecclesia fructibus attribuit, summi Pontificis concessu. Nomen vero suum vel insignia gentilitia fabricis, aut aliis rebus ab se constitutis, aut datis inscribi non patiebatur. Lucisæque sorori sue, honestissimæ, ac religiosissime matronæ, quæ primario viro, Annibali Vicecomiti Mediolanensi, nuperat, ut gentis Saulie signa quibusdam sacerdotalibus ornamenti Mediolani compositis apponi vellet, suadenti se nolle respondit: « Id enim, inquit, » nihil ad pietatem, » sed ad inanem gloriam pertinere arbitror. »

B 51 At vero B. Virginem Dei Matrem singulari devotione colebat, atque ad ejus honorem illius psalmiodam, litaniam et precatorium coronam quotidie recitabat; diebusque Sabbati atque omnium ejus festorum per vigiliis jejunabat, sicut etiam alii diebus, ab Ecclesia sacro jejunio addictis, et per Adventum Domini quotidie, et item per annum quartam et sextam quaque feria, nisi morbo aut itenere impeditus; quamvis tenui, ut diximus, valetudine uteretur. His igitur orationum et jejuniiorum armis, atque aliis heroicarum virtutum ornamentis instructus Vir Dei, quemadmodum summis et infimis amabilis erat ac venerabilis, ita dæmonibus terribilis apparuit. Nam, dum coram eo malis spiritibus vexati consisterent, magnis clamoribus praesentis ejus se ferre non posse, vel inviti testabantur.

*summa veneratio
B. Virginem prose
guitur:*

*numquam na-
vium, nisi
confessos nau-
tas S. Eucha-
ristia munierit
concedunt.*

C 52 Porro quoties navigare sibi contigisset, antequam navigium concenderet, ut nautæ ve- toresque omnes peccata rite confessi sacratissi- man Eucharistiam, ipso ministrante, suscep- rent, operam dabat; ne videlicet peccatorum,

Mulierum con-
sortia devici.
53 Ceterum ut erat tam in se, quam in aliis castimoniae cultor et custos egregius, sic a mulierum contubernio, imo ab earum colloquis quatenus per caritatem licet, semper absti- nuit, utsi quando eas audire ex officio oportet, id coram aliis, demissis oculis et aperto loco fieret. Sed in omni vita virginalem pudorem, ut supra memoravimus, et quam a puer professus erat, sanctam castitatem in verbis et in moribus ita conservavit ac tenuit, ut eum virginem ex hac vita migrasse, qui illum probe noverant, omnes haud temere confiant.

ANNOTATA.

a Lib. 2 de Confid. cap. 6 in fine.

b In Gabutii Italica de Beati nostri gestis lucubratione sequentia, quæ hic desiderantur, leguntur. Hic (Romæ) aliquamdiu Pontificis ex jussu versatus ac tamquam angelus exceptus (ut

propter ejus morum innocentiam et modestiam ac pudicitiam singularem ab ipso Pontifice aliisque ex aula passim nominari consueverat) in supremi regiminis consultationibus a Gregorio adhibebatur: multaque jam Pontifex Alexandri suus constituerat animo ad Christianam rem publicam utilissima, quæ et præstisset, nisi optima consilia mors intempestiva subvertisset.

c Is summus Pontifex S. Petri Cathedram anno Domini 1592, 30 Januarii ascendit, quam anno 1605, 3 Martii die morte vacuam reliquit.

d In Beati nostri Italica Vita a Gabutio concinata illorum patrum nomina, scilicet Seraphinus Curtius et Jo. Baptista Pioltinus, recensentur.

e Ex supra citato processus Summario cap. xviii a pag. 64 ad 71 laudatus noster editor hæc subjicit: Gregorio XIII regnante, Roma Alexander in Corsicam navigabat: ad Ilvam jam prope ventum erat, cum ex improviso concitata vehementi tempestate, quotquot navi vehebantur, vectoresque ipsi animum despondebant. Hoc in periculo quidam ex episcopi familia, Cæsar nomine, Hei nobis! exclamat. Hei miser! submergitur, Cui Alexander patet respondet animo, non ideo angi ipsum oportere, cum alioquin certo sciret, serius ci- tius semel omnibus moriendum esse. At Casar, Esto, inquit; » nollem tamen hoc genere mortis perire. » Tum Alexander erexit in cælum oculos Crucisque signo statim mare placavit, ac, sedatis ventis adversis, prosperis Bastiatum (*totius Corsice caput*) delati sunt. Pari in Deum fiducia, cum jam horrida grando præcipitanter cadret, ac vinearum vastationem mini- taretur, ad Alexandrum vero, commune in ad- versis per fugium, concurisset populus, ipse periculum et fenestra prospiciens, eodem bene- ficio Crucis signo dissolvit ac propulsavit. In ea- dem insula cum degereret, duæ et viginti pirata- rum triremes, quæ horas maritimæ insulasque Christianorum predandi causa solverant ex Africa, locaque jam multa magno cum terrore diripuerant, in eam Corsicæ partem, in qua tum erat Alexander, citato impetu rapiebantur. Res erat non in opinione dubia, sed in præsenti dis- crimine. Fit ad Alexandrum populi concursus, ad ipsum etiam equum deducunt, ut fuga salu- tem querat. Negat ille ullo in periculo velle se populum suum deserere: ut bono tamen sint animo, omnes cohortatur: ipse in sacellum suum se recipit, ibique per horæ spatium Deum exorat: egressus deinde, vultu hilari solatur omnes, qui eo convenerant et adhuc trepidabant; jubet domum quemque suam tutum redire; nec quidquam amplius periculi imminenter Deo fretus confirmat. Rem probavit eventus; subito exorta tempestas, nimboque præcipiti repulsa, et dissipata barbarorum triremes: imo disiectas naufragium fecisse, argumento esse potuerunt tabulae, quæ vel innatantes vel in litore postmodum reperte sunt.

f In citato saepe processus summario cap. 14 hæc habentur: Rome in ædem SS. Trinitatis ad Pontem Sextum plures Hebrei convene- rant die conducta, ut quendam ex eorum ge- nere, qui ad Christum se converterat palam execrantem convincentemque gentis sue perfidi- diam audirent. Aderant etiam Cardinales am- plissimi Cusanus, Matchæius aliique, et inter eos

A. GABUTIO. eos Alexander Saulius. Peroravit Hebreus, assedit. Tum Alexander, ut morem gereret Cardinalibus, id optare innuentibus, surrexit ipse, tantaque vi et eruditione et gratia cœlestis ubertate Judaorum pervicaciam est insectatus; veritatemque Christianæ Religionis ostendit, ut illorum plures a perfidia ad vera lumen fidei traduxerit; qui postea Alexandrum secuti ad S. Blasium de annulo, ubi apud nostros hospitabatur, quod animo statuerant, re, ut pri-
mum licuit, praestiterunt.

g In dicto Summario cap. 22, pagg. 84 et 85 sequentia leguntur: Sæpe etiam, dum ita immobili menteque a sensibus prorsus abalienata totus hærebatur in Deo, rebusque divinis defixus, suavissimos concentus circum ipsum exauditos fuisse, nec humanum certe sonantes, testati sunt ex ejus familiaribus nonnulli, qui interfuerunt.

h Ex eodem Summario cap. xvi, pagg. 64 et 65 sequentia laudatus hujus Vitæ editor addit: Diuturna siccitate agri laborabant et jam de totius anni messe valde timebatur: ad B Alexandrum configunt eumque rogant, ut impendi annona caritati velit subvenire. Ipse tridui jejunium indicit, instituitque, hoc peracto, supplicationem a sue sedis templo ad S. Francisci. In eo populis episcopum imitatus nudis pedibus ac singulari pietate procedebat. Postquam omnes pervenerunt, quo supplicatio fuerat decreta, flexis ibi genibus, præente Episcopo, Litaniam preicationem pressis flebilibusque modis concinuerunt. Tum post preces ad pluviam impetrandam Deo fusas ex ritu Ecclesiæ, Alexander divino Spiritu succensus, ter magna voce Misericordiam intonuit, totidemque vicibus populus respondens, perspicua cum animorum commotione, misericordiam conclamavit. Mirum! Dicto citius nubibus obducitur celum, que statim coactæ atque in maximos imbræ dissolutæ per tres horas ne pedem quidem templo efferendi potestatem fecerunt. Quare Antistes populum, non minus gaudenter Dei beneficio, quam admirantem Pastoris sui gratiam apud Deum, ita est allocutus: "Discite filii, Deum, uti par est, timere. Bene enim nos esse erga ipsum animatos riteque per pœnitentiam reconciliatos oportet, ut vocatus adiutus propitiatus et in periculis subveniat. Alias deinde pro gratiarum actione una cum populo preces obtulit bonorum omnium Largitor; cotunque universum iterum cohortatus ad pie sancteque in posterum vivendum dimisit. Illo autem anno sterilitatis timorem magna frugum copia subsecuta est.



Singularis ejus in omnes charitas et in pauperes misericordia : domestica disciplina.

Jam vero, quam ardens ejus in Deum esset pietatis studium et ardor caritatis, non solum ex iis, que diximus, sed etiam ex iis, que pro animalium salute et erga Christi pauperes ges-
sit, licet agnoscere. De quibus præter illa, que passim supra tetigimus, nonnulla libet hoc loco summativam referre. Namque satis constat, caritatem in Deum nulla in re fere magis probari atque cognosci, quam ex iis, que propter ipsum erga homines geruntur. Alexander igitur cum animalium omnium, tum præcipue sibi commissarum salutis ardenter adeo sitions fuit, ut tam in episcopatu, quam antea, nullis vigiliis nullisque laboribus, ut omnes lucrificaret, parceret. Solebat enim criminum reos omnes verbo et exemplo ad pœnitentiam excitare: quos posset, sacris confessionibus expiare; bonus in officio confinere et ad meliora provehere; ægrotos præsertim pauperes invi-
ser; afflictos humanissime consolari, eorum necessitatibus benigna manu succurrere; medici familiaris sui opera ægrotos tenues gratis curare necessariaque alimenta ac medelas illis subministrare, moribundis assistere, nudos vestire et alia Christianæ caritatis officia mirabiliter pietate ac patientia prestat.

55 Hinc fiebat ut non minus exemplis, quam verbis omnes ad virtutem impelleret, et in sed-
dandis, tollendisque discordiis, quod sæpe numerо facere conueverat, gratia et auctoritate plurimum valeret. In quo ut inimicorum dis-
sidentium pervicaciam argueret, et ad condonandas injurias, pacemque faciendam pertinaces animos inflecteret, non modo efficaci ser-
mone, sed aliquando etiam positis genibus humili per Christum supplicatione utebatur. Quo quidem mirabili Christianæ submissionis in tan-
to viro, et ardentes caritatis exemplo illi confusi reconciliari cogebantur. Sed si facta pacis reos videret, perfidiamque subesse compriisset, magna cum auctoritate æternæ damnationis sup-
plicia minabatur.

56 Illud vero præter cetera fuit magnum ejus caritatis argumentum: cum in summa an-
nonæ difficultate, et agrorum sterilitate, cali-
què inclemencia, Deo peccata mortalium vindicante, ne diuturna famæ Corsos affligeret, periculum immineret, multis flagelli præsens acerbitate jam ægre ferentibus, Alexander veluti alter Joseph, communem suorum vicem dolens, eis provida caritate succurrit; magnamque tritici, milii et leguminum copiam suis comparatam impensis et contingenit in Corsicam advehi curavit, paulatimque pauperibus gratis et aliis fa-
mem patientibus vel minimo pretio vel tanti solu-
lum, quanti constaret, large distribuit: plurimis etiam haec vel ad tempus dilata pretii solutione,
vel deposito pignore, cautionis causa, si ta-
men

*Proxi-
mo amo-
re accen-
sus,
percautores ad
Deum reduc-
tis
xgros invisi-*

*inter se dissi-
den-
tes recon-
ciliat.*

*Alienæ inopis
condolens, Cor-
sis annonæ dif-
ficultate*

A men solvendo aliquando forent, impertivit. Neque vero solum per id tempus, sed etiam alias sepe pro facultate sua egenorum inopiam sublevabat. Nam per annos singulos centenos tritici leguminumque modios, prout opus erat, egenis familiis distribui curabat, præter alias quamplurimas quotidianas eleemosynas in mendicos et alias inopes distributas.

pressis bis succurrunt

57 Certam porro tritici mensuram in hebdomadam penuria tempore dabant Seminarii Clericis, ut inde parentibus suis et propinquis egenitibus subvenirent. Tertio quoque anno de more Apostolicae limini adire conseruerat, quod ut faceret, aliquando Mediolanum ad S. Carolum venit amoris officiique causa, inde Romanum diversurum, sed ibi cum audisset, pauperes in Corsica annona difficultate premi, recta ad ecclesiam suam est reversus, ut eorum necessitatibus succurreret; et quam pecuniam in itinere impendisset, eam et amplius in egenorum alimenta contulit. Id ipsum alias præterea fecit e Corsica digressus, ut in Liguriam b perveniret: cum audisset Genuam pestilentia laborare, mutato consilio, in insulam regressus, quod viaticum erat expensurus, id sublevandis pauperibus tribuit c.

monasterii elemosynas largitur: d

nautis a piratis spoliatis viis subsidia turbavit.

58 Solebat etiam per singulos annos ad Congregationis nostræ novitorium collegium Monastice d subsidio mittere centenos aureos: et ut, quod cupiebat, Genuæ nobis domicilium erigeretur, ibi ad id certam pecuniam in fidem apud eos, qui ad S. Georgii negotiantur, collocavit. Ceterum Congregationem suam, quam Dilectissimam Matrem suam nuncupabat, ut ante, ita, posteaquam fuit episcopus, unice dilicit singularique benignitate semper est complexus.

59 Sed quoniam longum esset omnia ejus caritatis officia memorare, plurimi missis, ad ea, quæ in Corsica præstitt, duo tantum, silentio non prætereunda, libet adjicere. Cum septuaginta circiter piscatorum celocesset a Sardinia et ad Corsicæ littora a piratis direptæ et spoliata fuissent, nautæ, aliquæ cum ipsis dannum passi fere octingentia ad Alexandri episcopi benignitatem configundi consilium inierunt. Quos ipse benigne suspectos alimentis et aliis C vite subsidiis recreatos dimisit.

60 Accidit porro quadam die, ut ad Franciscanum cœnobium non longe a Zerbio, oppido in Corsica, per agrestem viam proficisciens vagientis pueruli vocem audiret, circumspiciensque videret sacculum, qua vox exaudiebatur, de arbore pendente: quo viso, statim Thomam sacerdotem familiarem suum, qui nobis hæc narravit, ad rem inspicendi mandavit. Is ergo, deposito et inspecto sacculo, in eo infantem recens natum invenit: quem rite baptizatum esse cum ex chirographo constaret, Alexander, parentum impietatem detestatus proliquis miseriam dolens, nutricem queri eique puerum educandum, ac diligenter curandum tradi jussit, ei persoluta mercede cum alimento, donec infans adolesceret. Itaque Vir Dei, auxilio divino optimaque conscientia fretus, ne caritati deesset, nullum infamie timuit suspicionem, neque humana malitia aut calumnia periculum claram probitatis ejus famam vel minimum obscurare potuit, aut eum a pietatis officio detergere. Haec igitur et alia plura præclara Christianæ charitatis opera

Alexander gessit in Corsica, quibus non minora succedunt, quæ in Ticinensi episcopatu patravit.

61 Nam quo primum tempore solemnæ ceremonia Pontificiam Missam fecit in ecclesia Ticinensi, civitas, confluentesque populi ejus hortatu in pauperum subsidium copiosam pecuniam obtulerunt; quod ut promptius facerent, eos ipse non solum verbis, sed etiam, quod efficacius est, exemplo excitans, aureos centum ex ære suo ad id primus contulit. Quam ille pecuniam protinus pauperum cœtibus erogandam curavit.

62 Subinde eodem tempore egenorum cura suscepta, eorum omnium præsertim mendicare erubescerent, numerum describi, sibique dari voluit. Atque ad id quattuor nobiles viros elegit, quorum opera certis diebus pecunias illis distribueret. Neminem vero prateribat, cui indigentem pro viribus non subveniret. Et quandoque pro aliis petere subverentibus animos addebat, et plura, quam petiissent, erogabat. Quod præter alios sibi contigisse narrabat Bal- E thassar Landinus, vir pius, mercator Ticenensis, cuius opera ad hæc ipse utebatur. Is ergo, cum tam frequenter accessum suum ad eum pro pauperibus interpellandum aliquando excusaret, ipsum Alexander humaniter amplexus: « Non est », inquit, « cur in hoc pietatis officio importunus mihi esse vereare. Nihil enim mihi facere gratius potes, quam hanc mihi occasionem dare. ». Accidit porro, ut idem Landinus eleemosynam ab eo peteret, in quedam pauperem erogandam, quem ille ad ministrum suum loculos tenentem, a quo duos aureos acciperet, remisit. Pecunias enim Episcopus non tractabat. At ille, audita Landini petitione, iussa facere cunctabatur. Quod ubi cognovit Episcopus, aureos quattuor Landino dari illoco precepit; tarditatemque ministri duplice stipe compensavit.

63 Ticinensis præterea pauperum ac pia- F rum mulierum cœnobitis per singulos menses, aliis ternos, aliis senos, aliis denos aureos pie largiebatur. Denique pauperum, orfanorum, viduarum et pupillorum, aliorumque miserabilium hominum tam sollicitam ac providam curam gessit, ut singulari benignitatis et paternæ caritatis exemplo eos saepius inviseret, inopiam sublevaret, benignusque Pater pauperum ab omnibus jure appellaretur.

64 Quicquid ex episcopatus redditibus sibi, magna frugalitate utenti, alendaque modicae familie sua supererat, totum larga manu sustentandis egenis erogabat: majoraque in eos benignitatis officia conferre se non posse condonabat. Hinc agre tulit, annum eamque gravem sibi exceptam esse pensionem, quam non sibi, sed Christi pauperibus sublatam esse querebatur. Intelligebat enim Vir pietate sapientiaque præstans, pauperum curam propriam esse episcoporum; eamque a Christo Domino cum omnibus discipulis suis, tum in primis Apostolis, et eorum successoribus episcopis diligenter commendatam fuisse; et in eorum subsidia terrenas facultates, præsertim ecclesiasticas, non minus utiliter, quam juste conferri.

65 At vero quo magis caritate in Deum et homines ardebat Alexandri animus, eo minus avaritiae sordibus et rerum caducarum cupiditate fœdabatur. A quibus quidem maculis et ab omni

Ticinenses ad egenis succurrendum exempli allicit.

Ipsius sollicita de mendicare erubescerentibus

de pupillis et viduis cura.

Fragiliter vivens redditum superflua

A. GABUTIO. omni ambitione tantum aberat, ut ne minimæ quidem de iis suspicioni locum relinquenter. Vitia vero, si qua erant, ea minima, sine quibus vivit nemo, virtutum multitudine ad cælestium donorum magnitudine obruebantur. Quod non affectui, sed veritati tributum esse, qui eum scriptoremque probe noverint, facile judicabunt. Ex his igitur et alii ejus actionibus, qualis erga se, qualis erga Deum et homines fuerit Alexander, fere satis constare jam arbitror. Reliquum est, ut, qualis fuerit in familiam, videamus.

Famulos suos

66 Neque vero solum in extraneos, sed eo magis etiam in domesticos suos, quos, ut filios diligebat, se se benignum ac prudentem Patrem ostendit. Sciebat enim, episcopum ex apostolico praecerto domui sua bene prepositum esse oportere. Nam, qui domui sua præesse nescit (ait Apostolus 1. ad Timoth. iii. v.) quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Itaque modicam eamque selectam sibi familiam Alexander adscivit, qua moribus et B vita Episcopi domum non oneraret, sed ornaret, quæque Domini sui mores ostenderet. Ipse vero diligenter operam dabant, ut familiares suos verbo et exemplo meliores redderet, imperfectos toleraret, ignoratos eruditet, omnes in officio contineret; nemini porro molestus, aut importunus, aut iratus, eoque minus injurias umquam fuit.

67 Sed ei solemne erat, errantes paterna caritate corrigerem, non minima quæque peccata castigare; sed quedam dissimulare pro tempore et alia humanae imbecillitatibz condonare; singulis pro dignitate honorem deferre, omnes singulari caritate complecti: octavo quoque die omnes congregatis salutaribus monitis ad honeste pieque vivendum excitare. Quotidie vesperi sub horam nocturnæ quietis omnes ad orationem et examen conscientiam in domestico sacello cum eo congregati beatae Virginis Deiparæ litania recitata, aqua sacra ab ipso conspersi, cum silentio cubitum se conferebant. Sacerdotes quotidie sacrosanctum offerre Sacrificium; reliqui vero vel semel, vel si pius in mense et per annas solemnitas sacram Communionis Mensam, ipso ministrante, frequentre; singuli preces suas recitare, quartu quoque feria carnis abstinere, ac præter stata Ecclesiæ jejunia, per Adventum Domini, et sexta quaque feria sponte cum eo plerique jejunare.

C charitate dirigi.

68 Sacerdotes item et advenas ad mensam adhibebat suam, quam quidem et discumbentis etiam familie sacra lectione condiri volebat, ut non minus mentes, quam corpora eodem tempore reficerentur. Profani sermones coequi magis impuri, alea, ceteraque vitiorum genera a domo sua procul aberant. Non vanitatis indicem vestem, aut luxum, non otiosæ colloquia aut quidpiam aliud sacra indignum familia ibi vidisses. Ceterum ipsis agrotantibus aut valetudinariis nullum caritatis officium deesse patiebatur, eosque sepissime visitans, medicorum et ministrorum operam et medicinas etiam diuturno tempore et alia illis necessaria abunde suppeditari curabat, de illorum stipendio nihil immuniens. Haec quidem et alia optimi Pastoris officia præstans, bonum, quod ait Apostolus, operabatur ad omnes, maxime vero ad domesticos suos, quos non facile mutabat; sed, cum probatos haberet, plerosque ab initio

D episcopalis vitæ ad finem usque fideliter perseverantes, honestis præmiis remunerare non est oblitus.

ANNOTATA.

a In *Italica, auctore Gabutio, Beati Vita hæc addita leguntur*: Plura possunt proferri, sed uno erimus contenti, ex quo facile conjici poterit, quantum auctoritate et prudentia in reconciliandis animis Alexander valeret. E sua diæcessi nonnulli parochio suo vehementer irati, ad episcopum nomen ejus de quibusdam criminiis detulerunt. At Pastor sapientissimus summa lenitate et efficacitate verborum permulsi prius illorum animos: tum parochum ad se clam vocatum serio admonuit errorum suorum ac vere emendatum dimisit.

b *Italiæ regio in Gallia Cispadana, quæ antiquitus duplex fuit, nempe Littorea, et Mediterranea. Verum cum, ductorem de Liguria Littorea hic loqui, satis constet, hanc tantum cum Baudrando describemus. Regio illa extenditur inter Alpes maritimæ ad Oceanum, quibus a Gallia Narbonensi dividitur, et Macræ fluvii, quo ab Hebruria separatur, ostia ad Ortum; a Septentrione vero Apennino monte et a Meridie mari Ligustico terminatur, quæ Liguria vera et propria; nunc la Riviera di Genova dicitur, dividiturque in oram Orientalem, la Riviera di Levante vulgo, et in oram Occidentalem, la Riviera di Ponente.*

c In sæpe citata *Italica Vita hæc Gabutius adjecit*: In his aliquis itineribus, ut honestius avocare se ab omni profana consuetudine, ac quotidianis pietatis exercitationibus tranquillo magis animo operam daret, numquam, nisi necessitas cogeret, ad cauponas vel publica diversione adibat, sed, ubi nostra non extarent collegia, domum se se recipiebat sacri aliquius Ordinis, ubi commodius cum religiosis hospitibus de rebus posset divinis conferre. Quidquid vere pecunia in venali consumpsisset hospitio, in subsidium ejus religiosæ familie, ad quam diverterat, largius impendebat. Id ipsum facere consuevit celebrioribus in oppidis, ubi vel consanguineos vel nobiles et opulentos amicos haberet, qui ipsum ad se invitarent, præponens frugilem mensam et humile Servorum Dei contubernium ædibus amplissimis lautisque conviviis.

d *Modoetia seu Modvecium lepidum ducatus Mediolanensis oppidum in Italia ad Lambrum fluvium, ubi imperatores, ut Longobardorum reges, coronam ferream accipere solent.*

e *Ingens Italæ insula, sub regis Sabaudia dominio, in mari Mediterraneo, quæ a Septentrione ad Meridiem extenditur, inter mare Tyrrhenum ad Ortum et mare Sardoum ad Occasum.*

CAPUT

A

CAPUT VII.

Ipsius obitus et sanctitatis signa.

Dioecesis suam visitans, in morbum incidit, et morti jam proximus. Sacramentis Ecclesie munitur;

Cum in ecclesia Ticinensi sancte administranda fere annum exegisset, duo sibi impositae pastoralis curae munera prastare reliquum erat: commissum sibi Christi gregem visitare et dioecesana habere synodum; hanc autem absoluta visitatione celebrandam indixerat. Sed summus ille rerum Conditor et Moderator, qui sapientissime cuncta disponit, humanis consilii antevertens, Famulum suum ad æternæ vitæ præmia communis opinione citius evocavit. Dum enim ecclesiæ dioecesis obit et ordinat, in castello ipsius dioecesis, Calotium appellato, in collibus Astensis febre corruptus, laboribus, inedia, æstate jam ingravescente, et imperiti medici cura debilitatus, morbo succubuit. Itaque peregrinationis sua finem adesse sentiens, ad extremum diem feliciter obeundum se se diligenter præparavit, singulari pietatis significatione rite perceptis sacrosanctis Ecclesie Sacramentis opera Ambrosii Rotulae, Congregationis nostræ sacerdotis, qui viventi per annos plures in Corsica primum, mox in ecclesia Ticinensi, ejus laborum ac dolorum particeps morienti affuit ac fideliter ministravit b.

deinde ad hospites familiares et hospites suos domi nobilis viri Caroli Rovere verba fecit, eximias pietatis plena, quibus egregiam humilitatem, sanctam in Deum fidem et ardentes caritatem pre se ferens, omnes ad pie sancte que vivendum est cohortans, contestans, setam constanti ac perspicue fide Christianæ religionis dogmata tenere ac confiteri, ut ea certo quodam divina Sapientia lumine comprehensens, ne id fidei meritum immuinueret, proptermodum vereretur. Quamquam non ignorabat

Cdivini luminis copiam de fidei præstantia aut merito nihil in hac vita detrahere, sed id potius augere. Id autem non jactantiae causa, sed ut alios in Christianæ fidei professione magis confirmarat, se dixisse demonstrabat. In quo tamen divinae Sapientiae, que se confert in animas sanctas, puram mentem ejus abunde collustrantis, lumen licet agnoscere.

sicut et ab omnibus de confessis veniam petit, ipsoque consolans pie moritur.

71 Inter haec ab omnibus tam presentibus, quam absentibus, magna cum submissione veniam petiti, si quibus in rebus eos offendisset; rogavitque, ut pro animæ suæ salute Deum precarentur, eamque piis Ticinensis, presertim sacrarum virginum, precibus commendarent. Adhaec, omnibus, qui aderant, collacrimantibus, tantique Viri ac Patris amantissimi jacturam deplorantibus, eos ipse humanissime consolans: « Ne me, quasso », inquit, « fratres filique carissimi, lacrimis, sed letis » animis ac precibus prosequamini. Ego enim, « ut spero, ad semiperna vitæ gaudia per misericordiam Dei propero, vos autem sic agite, » ut ad eamdem pervenire possitis c. « His dictis, manus ac pedibus in crucis formam com-

Octobris Tomus V.

positis oculisque in cælum intentis, pronuntians illa verba S. Job: « Exspecto, donec veniat immutatio mea, » spiritum Deo reddidit quinto Idus Octobris, Dominico die, hora circiter sexta decima, anno Salutis millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, ætatis vero sua duodesexagesimo.

72 Proceræ potius, quam justæ fuit statuta, gravi ac pleno Sanctitatis adspectu, macilenta et oblonga facie, majusculis et subalbitantibus oculis, alta fronte, naso nonnihil simo, ore probro lætoque, colore subrufo, barba modice promissa, canescens capillo, longis manibus, toto corpore integer, decorus ac venerabilis.

73 Ceterum corpus ejus, ut ab iis, qui sepeliendum curaverunt, receperimus, etsi nullis conditum rebus, suavi odore flagrabat: et cum per octo fere dies inhumatum fuisset, caro ejus vivida, ac mollis erat instar corporis viventis: ita nec levia sanctitatis indicia videntur. Itaque decenter curatum delatumque Ticinum magno totius cleri civitatisque concurso in cathedrali ecclesiæ pontificali habitu illatum est, universi carissimi Parentis jacturam et optimi Pastoris obitum deplorantibus, et pro ea, quam de illius vita sanctitate constantem opinionem mente conceperant, manus, pedes ac vestimenta deosculari sacrisque rosariis tangere conantibus. Quæ quidem opinio Ticinensium et adjacentium populorum animis tam firmiter inherere coepit, ut eum deinceps colere et veluti jam cœlesti gloria fruentem invoke non desinat. De quo infra suo loco pluribus agetur.

74 Ex testamento Apostolice facultate condito collegium nostrum Ticinense, ubi ipse eruditus erat in studiis, ac dum episcopatum gereret, frequenter divertere solebat, supelletilis heredem instituit: ducentosque nummos aureos cathedralis ecclesiæ vasini sacris ornando sacrario, et nonnulla domesticis suis administris pauperibusque distribuendo pecuniarum subsidia reliquit. Clericorum denique seminario, quod ipse exererat in Corsica, trecentisque aureis nummis annuis, ut diximus, instruxerat, quamvis id amplius ad se non pertineret, pro sua tamen in illud pietate, moriens quadrigenitos aureos legavit, qui subinde sunt ei persoluti. Sed quemadmodum in omni vita evangelicæ paupertatis fuit cultor egregius, ita morienti ex eleemosynarum largitate parum suffit, quod posterius relinquaret.

75 Patres vero nostri in eo præsertim residentes collegio, qui eum et viventem singulari pietate coluerunt et ex humanis egressum summo dolore, et honore, parique suffragiorum beneficio sunt prosecuti, in medio templo maximo corpus ejus sepeliendum curarunt, inclusum arca, cui erat inscriptum: ALEXANDER SAULIUS EPISCOPUS PAPIENSIS HIC JACET, sepulcro lapidem d e candido marmore perpolitum posuere e.

76 Hactenus Alexandri vite cursum et quæ ipse ad gloriam Dei, ejus ope, gessit, ut ipsi vidimus oculis nostris, et ut ab aliis, qui videbant, accepimus, proba fide memoravimus. Deinceps vero, quæ Deus ipse ad honorem Famuli sui, cœlesti, ut pie credimus, gloria fruentis, ipsa intercedente, perfecit, pari fide referemus. Divino namque judicio constitutum videtur, ut, qui Deo debitos honores habuerunt,

A. GABUTIO.

Ipsius corpus,
cuius hic habi-
tus pingitur,

post mortem
suavi odore
flagrans, Tici-
num defertur,
et in cathedra-
li

ibidem ecclœ-
sia a patribus
Congregatio-
nis Cler. Reg.
quos supelle-
tilis heredes
instituerat,

honori/ce se-
petitur.

d
e
Ad Alexandri
sepulchrum
populi concur-
sus, qui, iacet

A. GABUTIO.

runt, ab eo pariter honorentur; ut omnino certum esse intelligamus decretum ejus pollicentis in haec verba: « Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, » I Reg. II. xxx. Quod non solum de sempiterna illa, qua justi fruuntur in calis, sed de hac etiam, qua ipsi clarent in terris, gloria verum esse conspicimus. Nam etsi propria virtutis praemia justis redundunt in calis; plerosque tamen in hac quoque mortali vita Deus coli voluit, et per eos divinæ suæ potentiae signa dari, ut vel imbecilli confirmetur in fide, vel præclaris eorum exemplis ad recte vivendum excentur, vel quos olim forte parvifecerant, eos divinis et humanis honoribus dignos esse cognoscant, vel denique ut haec omnia simul aliaque ejus divina consilia ad gloriam suam humanamque salutem compleantur. Sed, quemadmodum non omnibus, aliqui viris sanctissimis, datum est, ut miraculorum signis effulgeant, ita nemo potest haec signa facere (ut inquit ille in Evangelio Joan. III. n.) nisi fuerit Deus cum eo: et miraculorum signa sanctitate vita confirmentur, ut vita signis et signa vita respondeant; atque ita Deus, qui summa veritas est, non vanitatis fiat testis, sed veritatis. Quæ cum ita sint, mirum esse non debet, si bonorum omnium auctor ac remunerator Deus, qui pro immensa sua bonitate exaltat humiles, et divinis humanisque honoribus ornat eos, qui divinae Majestati sue honorem augere studuerunt, hunc Famulum suum ad ejus invocationem variis editis miraculis cœperit illustrare.

*ab episcopo
Ticinensi pru-
denter inhibea-
tur,*

77 Anno igitur a Christo nato MDX, ab Alexandri vero obitu duodecimo, per ejus invocationem Ticini nonnullis aegrotis divina virtute mirifice sanatis, major ac frequenter civitatis finitimique populi concursus ad ejus sepulcrum fieri cœpit. Complures ibi vota facere, cereos et candelas accendere; tabellas voti causa et alia pietatis restituente valetudinis symbola, donaria et pecunias offerre. Sed, ut fit, nonnullis de veritate rerum ambigentibus, Jo. Baptista Billius, Ticinensis episcopus, Alexandri successor, pro singulare sua prudentia et auctoritate curavit, ne quid in hac re perperam committeretur. Quare, cum primum de his audivit, populi frequentiam repressit; cavitate, ne ad sepulcrum concursus fieret; neque ibi cerei aut lampades arderent, aut tabelle aliaque voti causa deponerentur, donec de re tota diligenter inspecta diuine probata magis constaret: idque, ne in re tam gravi quidquam leviter credidisse aut temere fecisse videretur.

*nihilominus
indies accres-
cit, ac tandem,*

78 Sed cum Ticinenses diuturnam hanc tarditatem agre ferrent, quo magis reprimi, eo vehementius augeri et accendi populi in Alexandrum pietas, frequensque ad ejus sepulcrum concursus quotidie magis urgeri videbatur. Quod igitur Servi Dei gloriam opprimere putabatur, id eam clarius, ut mox dicetur, illustravit. In quo etiam patrum nostrorum modestiam multi commendaverunt; quippe qui, cum primum de his fama percirebuit, licet de Alexandri sanctimonia se nihil ambigere profiterentur; tamen tantum abfuit, ut haec signa prædicare, in vulgus offerre ac concursum affectare volunt, ut etiam silentio nostris omnibus indicto, rem dissimulare, tacere, quidquid esset, Deo committere, Ecclesiæque judicio relinquere, donec veritas magis elucesceret, satius esse judica-

verint: scilicet ne sermo daretur hominibus, D hæc nimis carpare jactantieque tribuere gliscantibus.

79 At vero lucernam sub modio diutius latere, Dominus non passus; sed quo magis humana prudentia Servi Dei gloriam explicare distulit; eo citius ac certius eam divina providentia longe lateque propagavit. Nam vigesimo circiter mense, ex quo de his rumor increbuit, idem episcopus de consilio etiam amplissimorum patrum Romæ sacris ritibus præfectorum pro sua auctoritate liberam omnibus potestatem fecit, ut ad Alexandri sepulcrum confluere, divinam opem per eum invocare, ei vota facere, tabellas et res alias offerre, accendere lumina, et alios honores ex Ecclesiæ ritu justis illis, qui nondum a summo Pontifice inter Sanctos relati sunt, deferri solitos habere, nemo non posset f.

80 Quod cum cives Ticinenses intellexissent, universa civitas ad Alexandri sepulcrum confluere et singulare devotione vota facere, ardentes cereos, votivas tabellas et alia pietatis symbola deferre perrexit g. Ac prouide multi ex variis languoribus per ejus invocationem sanati, divina virtute ac Servi Dei sanctitatibz testimonium certiori fide reddiderunt. Sed jam ipsa mirifica per eum patrata divinæ potestatis opera, ut vidimus, et ut ab iis, qui viderunt, accepimus, inspiciamus. Quæ tamen non omnia hoc loco, sed, multis in aliud tempus locumque dilatis, nonnulla nobis magis perspecta referemus.

ANNOTATA.

a *Gabutius in Italica Beati nostri Vita hæc addidit:* De hoc ipso admonitus, lætus nuncium exceptit; tum exorsus a diligentis totius anteacte vita disquisitione et generali per pœnitentia Mysterium expiatione, ad extremum etc.

b *In citata Italica Vita sequentia subiectum:* Antequam divino Corporis Christi Viatico communiretur, flagrantissimum divina caritate sermonem habuit, de dignitate et veritate tanti Sacramenti eo spiritu disserens, ut omnes, qui aderant, suo inflammatuero sancto in Deum ardore.

c *Quibus relatis, in Italica Beati Vita Gabutius sequentia adjectit:* Post haec aliquantulum quietis capere visus est. Experrectus inde, rogatusque, quomodo se haberet, verbis S. Job respondit: « Exspecto, donec veniat immutatio mea. » Extrema deinde salutati Unctione ut muniretur, postulavit, dumque sarcum hujusmodi officium præstebat administer, preicationibus inter ministrandum ex Christi et Ecclesiæ instituto adhibitus Alexander respondebat. Petiti postea, ut sacra Dominicæ Passionis historia legeretur, quod cum præstaret Ambrosius, clausis ipse oculis, ita cœpit quiescere, ut jam decessisse videretur. Sed cum propterea lectionem intermitteret sacerdos, suscitatus Alexander, « Cur », inquit, « legere non pergis, Ambrosi? Næ si scires, quid mihi impedimenta injeceris hac tua intermissione, numquam cessasses. » Exoratus vero, ut impedimentum hujusmodi declararet, nihil hascens affirmavit, sibi jam se per id tempus in celos sublatum videri, ibique contemplari angelorum ordines felicitatemque Beatorum in tui. Hic rursum, ut divinam perageret lectionem,

*sacrorum ri-
tuum collegiō
annuente,*

g

F

A ctionem, Ambrosium rogavit, quam dum si prosequitur, Vir Dei erigens in celum oculos placidissime quievit in Domino, atque e terris abcedens evolavit, ut pie credi potest, ad caelestem gloriam, ab se jam animo prospectam ardentissimeque concupitam.

d Quem lapidem sequenti epitaphio, teste Aloysio Barello, condecorarunt :
Alexandro Saulio, clero Regulari sancti Pauli, Aleriensi primum, deinde Ticinensi episcopo,
Doctrina et religione excellenti,
Collegium S. Mariae-Coronatae
Patri ac Fratri

B. M. P.

e His narratis in citata Vita Italica Gabutius libros, quos Beatus noster composuit, sic enumerat : In lucem edidit, uti jam est memoratum, opera nonnulla ad curam pastorem et Initiatorum doctrinam pertinentia, quibus adnumerandum est volumen unum synodum constitutionum, alterum breves complectens clericorum institutiones, aliud exhibens Catechismi Romani doctrinam, in Dialogum redactam. Plura etiam reliquit MSS : Theologie compendium : De vera hominis felicitate libros iv. Totidem de Religione Christiana. Tractatum de Justificatione : alterum de officio, et moribus Episcopi : alterum de officio et moribus sacerdotis ad curam animarum addicti : alterum de Cambiis. Adnotations insuper aliquot in Psalmos octo, aliasque in ea verba Ps. XLIV. " Audi, filia, et vide.

f Laudatus Gabutius in Beati Italica Vita colloquium, quod Billius Ticinensis episcopus cum summo Pontifice Paulo V de veneratione, qua Ticinenses Alexandrum prosequebantur, Romae habuit, sic refert : De his rebus omnibus idem Billius Ticinensis episcopus, uti testis oculatus, Paulum V Pont. Max. Romae in colloquio certiore fecit. Ipsi vero Pontifex (ut postea Billius referebat) in haec ferme verba respondit : " Pergratum nobis est, haec de illo fideli Dei " Servo audire, quem nos etiam Sanctum in hac " vita existimabamus. " Addiditque alia de egregia ejus Viri opinione, quam imbiberauit animo. Hinc episcopum hortatus est, ut diligenter habeat eorum rationem, quæ ad Alexandri sanctitatem illustrandam in posterum eveniret. Hic Gabutius præclaros et illustres viros, qui Alexandrum statim post mortem ut Beatum habebant, enumerat : Neque aliter de Alexandri virtute et meritis sensere, qui Paulum V antecesserunt, Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V, Gregorius XIV, quorum postremus, uti jam diximus, tota consentiente aulo Pontificia, Angelum solebat illum appellare. Idem judicabant Cardinales et Praesules amplissimi, quotquot Alexandrum bene növerant. Cardinalis autem Belmusters piae mem., qui Alexandre in Aleriensi episcopatu primus successerat, præcipuo illum colebat honore, atque ut ipse nobis testabatur, illum invocare quotidie solebat, et peculiari aliqua preicatione in sui subsidium poscere, ut jam aeterna beatitate donatum. Videbat enim ipse, quod et quantos obiisset labores, et quam præclara ubique reliquisset sanctitatis monumenta, et quam consentiens esset totius insulae ejus virtutum predicatione ac vehemens desiderium ; unde Corsicæ Apostolum populus universus Alexandrum vocabat. Haec denum multis abhinc annis jam inveterata consensio est, haec vox publica Alexandri sanctitatis quæ non Ticinensium modo

et Corsicæ, sed omnium Insubriæ populorum fines pervasit, apud quos jam diu Beati nomen et honorem retinuit.

g Hunc ad Beati nostri sepulchrum concursum rursus vi decreti Urbani VIII inhibitum fuisse, supra laudatus Aloysius Barellus cito loco sic scribit : Elapsis aliquot annis post hanc concessionem, sub Paulo V Pont. Max. a Joanne Baptista Billio factam, Urbanus Octavus suum decretum promulgavit, quo homines cum sanctatis fama mortui publice coli prohiberentur, priusquam a sancta Sede Apostolica Beati vel Sancti declarati fuissent, illis exceptis, qui per immemorabile tempus ante hoc decretem Calitum honoribus fuissent affecti. Quapropter Fabricius Landrianus, tunc temporis ecclesie Ticinensis episcopus, licet venerabili Alexandre maxime affectus, ut colligitur ex imaginibus radiatis, quæ excusse fuerunt, ipsi que Prælato dicatae, volens tamen decretum hoc Pontificium executioni mandare, omnem publicam venerationem ad ven. Alexandri sepulchrum hucusque exhiberi solitam, prohibuit, atque de ven. Servi Dei sepulchro tabellas votivas, lampades cæteraque ornamenta auferri jussit : verum istud decretum civium Ticinensis erga Alexandrum devotionem eveltere haud potuit, qui id, quod publice facere non poterat, privatum semper fecerunt, continuo ad patrocinium sui Pastoris confugientes, tandem divina Majestas hanc perseverantiam remun rare volens, circa annum 1677 B. Alexandro sese commendantibus iterum multa beneficia rependere coepit, quæ Innocentium Undecimum impulere, ut duos episcopos, Dertonensem scilicet et Alexandrinum, mitteret, qui de his beneficiis Beati intercessione concessis jurata testimonia reciperent.

CAPUT VIII.

Miracula post mortem ejus intercessione patrata.

B. Alexandri invocatione surarum dolore corruptus sanatur.

Mense Maio anno MDX, in urbe Ticinensi, in parochia S. Gervasi, Jo. Antonius Spoletus bidui spatio tam gravi renum surarumque dolore corruptus fuit, ut neque cibum, neque somnum capere, neque quiescere ullo modo posset. Itaque cum in summo vita discrimine versaretur, ad Alexandri intercessionem confugit; eique, voto facto, statim indormivit; mox evigilans, sanum omnino et incolumem se esse reperit.

82 Petrus Antonius Lazarus, canonicus Ticinensis, ipso anno, mense Junio, cum ad villam suburbanam una cum sociis de B. Alexandre colloquens equitaret, onustum jumentum obvium habuit, cui ut loco cederet, equum ad viæ marginem declinavit, ubi fovea, seu aqueductus alte defossus, et in eo ligneum aquarium repagulum ex adverso erat. In id equus posterioribus pedibus lapsus et eversus equitem excusset; qui, dum caderet, B. Alexandrum invocans, in ipsum repagulum caput graviter impedit. Sed perinde ac si in molles plumas decidisset, nihil malisentiens illæsus surrexit; cum alioqui

canonicus grande periculum evadit;

A. GABUTIO.

alioqui ex tam gravi casu illiso capite mortem evadere non potuisse, nisi ope divina, omnium iudicio videretur.

*puer hernia
liberatur, eu-
jus metu vi-
sum recipit :
quidam a san-
guinis fluxu,
alius a capi-
tis dolore sa-
nati:*

83 Puer Ticinensis, nomine Carolus Franciscus, Julii Villani et Antoniae Rovedae conjugum filius, intestinis in scrotum defluentibus, discertis pelliculis graviter laborabat. Sed cum die quadam parentes ejus Alexandro filium devovissent, sequenti nocte ille sanatus, mane surrexit prorsus incolunis, neque amplius tale quidpiam se passum esse, ipse parentesque mihi retulerunt. Ipse porro Antonia cum visus hebetudinem pateretur, invocato Alexandri nomine, statim pristinam videtur vim recuperavit. Hieronymus Bossius Ticinensis, sanguinem e naribus copiosius effundens, nocte quadam, cum de propinqua morte propterea dubitaret, ad Alexandri intercessionem confugit, divinam opem per eum implorans in hunc modum : « Benedictus cetero Sauli, si verum est, ut pie credo, te caelesti gloria perfrui, rogo, ut meritis tuis ac precibus ex hoc periculo sanus evadam. » Quo dicto, protinus stetit sanguis; ac deinceps ab hujusmodi fluctione liber omnino fuit. Marcus Antonius Bellanus, monachus Ticinensis coenobii S. Salvatoris Ordinis S. Benedicti, cum per multos annos gravem capitis dolorem, Emicraniam Graecis appellatum, pateretur ac praesertim oculis grave pondus sustinere videretur, eosque in rem ullam objectam figere et quandoque loqui non posset, plurimis remedii frustre consumptis, ad Alexandri sepulcrum deprecans liberatus est domumque sanus revertit.

*ipsius veli pe-
ctoralis usu
calculorum
valetudo cura-
tur.*

B 84 Sebastianus longus, frater noster laicus ex iis, quos Conversos appellamus, patria Mediolanensis, annos natus circiter xx, jam fere per biennium acri dolore ex calculis et urinæ difficultate laborabat: cum ei multa ac varia per medicos peritos adhibita remedia nihil profuissent, tantum est, an loci remediorumque mutatio quiequam conferret. Itaque ad diversa missus collegia nostra, ibi medicorum opera diligenter curatus, sed minime sanatus est. Imo ingravescente morbo, eum nisi extractis per incisionem calculis sanari non posse, physici judecabant. Quapropter, quasi desperata salute, incertus, quid ageret, ex urbe Aquensi Mediolanum remissus, anno MDCX circiter Idus Julii Papie substitut. Ubi gravi dolore afflatus, cum jam triduum nihil urinæ reddidisset, ab humanis remediis, qua frustra fuerat expertus, eaque jam pridem adhibere desierat, ad divina perfugit; sumptuo secum pectorali velo seu linteolo, quo Alexandere episcopum ad mensam uti solebat, fidei plenus ad ejus sepulcrum accessit. Ibique ex animo Deum precans, ut, si ita expediret, per intercessionem et merita Servi sui ex elongatore liberaretur, statim dolorem omnem cessasse sensit; urgenteque mingendi necessitate, vix templum egressus magna turbidi humoris copia leniter effusa, omnino convaluit. Inde lætabundus domum reversus incolunis, Deo et Alejandro Servo ejus gratias agens, rem, ut gesta erat, patribus collegii nostri Ticinensis, deinde hujus historia, scriptori, aliisque narravit. Sequitur nullum dolorem aut naturæ impedimentum jam per biennum et amplius, ex quo id accidit, passum esse testatur. Qui diffidit, ipsum adeat; vivit et munus suum libere peragit. De his testes habemus ex nostris

complures, et ex Physicis, quorum operam ne- complures, et ex Physicis, quorum operam ne- quiquam adhibuerat.

*Facto votu ocu-
lorum usus
restituuntur.*

85 Christophorus Petrus Ticinensis cum in gravissimum oculorum morbum ac dolorem incidisset, ita ut amissa videndi facultate, ex magna humorum copia intumescentibus oculis singulis ad magnitudinem ovi magni struthionis, monstrum hominis representaret; nihilque permultos dies agere, præterquam ex vehementi cruciatu conqueri, lamentarique posset; nulla inventi remedia, medicis tumores illos incidere verentibus, hortatu amici sui ad implorandum Alexandri opem se convertit; eoque suppliciter invocato et voto facto, paulo post, dum ad ignem, capite in pulvinar inclinato, quiesceret, vocem audire visus est sibi dicentem : « Eja surge: numquid putas te insanabilem esse? » Ad quam vocem excitatus (erat enim in loco solus) uxorem incolamat, quisnam ita sibi dixisset; cumque nemo visus esset, statim cedente dolore, humores ex oculorum tumoribus effluere, et duarum veltrium horarum spatio evacuat illis vesiculis, bellis introrsum reduci, sanis oculis eo die videre et quasi revivere coepit: ac deinceps, ut vidimus, sanus et pelle in rei signum circa oculos rubescente, vivit sanus, Deo et Alejandro gratias agens.

*Sanctimoniali,
a malignis*

86 Sed in energumenis, per Alexandri intercessionem liberandi, divina virtus non semel enuit. Inter alios nobiles sacrarum virginum cœtus exstat Ticini celebre et antiquum coronium, quod a Duce Senatore (id viro nomen) Luithprandi Longobardorum regis consanguineo ejus conditore cognomen tenet. In eo cœnobio sub Instituto S. Benedicti religiosa virgo Aurelia Bosia, ita Deo permittente, jam per quinque annos malignis oppressa spiritibus, tam graviter vexabatur, ut conquiescere non posset; sepe vel in puteo ab illis demergi, vel ex alto loco præcepis dari periclitaretur; accidissetque, nisi ope divina et aliarum virginum manus periculo sœpius erecta fuisse. Plurima ad eam liberandam adhibita remedia pluraque vota Cœlitibus facta cum irrita viderentur, tandem quarto post anno ad imaginem Virginis Deiparae in hortensi sacello cœnobii vehementius oranti, ei talis quasi divinitus immissa cogitatio est, patienter sustineret; nam fore, ut per intercessionem Sancti, nondum mundo cogniti, cito liberaretur.

87 Sed ipsa, quisnam Sanctus hic incognitus esset, ignara (nondum enim de Alexandri sanctimonia percerebuerat fama) spem futuræ salutis tamdiu sustinuit, donec sequenti anno pervulgatus de signis Viri Dei sanctitatis rumor in mentem ei revocavit datam fiduciam, eamque in spem erexit, hunc esse fortasse Sanctum illum mundo incognitum, per quem se liberatum iri, Dei Mater denunciaverat. Itaque magna fide et devotione eum invocare coepit. Interea mali spiritus eam acris divexare ad torquere sunt aggressi, non ferentes, talem sibi Patronum delegisse, aut ejus opem implorare. Cum autem per menses fere quattuor ita Deum obsecrasset, demum, multis effusis precibus et lacrymis, et in mentem venit, quoquo modo posset, Alexandri sepulcrum et ossa venerari. Cumque loci septa egredi sibi non licet, spatium illud, quo sepulcrum distat a cœnobio per alios emensa, id ipsa totidem passibus, centum videlicet et triginta, a cubiculo suo ad

*spiritibus ve-
xata.*

obsecrasset non possit, in sacellum

sacellum

A sacellum, in horto situm, pia processione ina-
cum aliquot sacris virginibus, secum deprecan-
tibus, nudis pedibus obire constituit.

B. Alexander
in somnis ap-
paret,

88 Sequenti nocte in lectulo suo recumbenti
sibi Alexander in somnis apparuit, quem ipsa vi-
dere videbatur in æde veteri ipsius coenobii, pon-
tificali habitu ante altare maximum, multi alias
venerabilibus circumfusum episcopis (quem
ipsa inter alios agnovit, quod eum in humanis
agentem vidisset, ex ejusque sacris manibus
Confirmationis Sacramentum olim suscepisset)
ibique insignem collucentem lampadem intuens
ex eo rogavit, cur ibi lampas illa fulgeret;
cui ille: "Id, " inquit, " fit ex pio desiderio sa-
crae virginis sociae tue, qua lampadem ipsam
hic ad honorem Dei lucere cupiens, dolet se
præ sua paupertate voti compotem fieri non
posse. Sed Deus piam ejus voluntatem gratam
sibi esse hoc signo declaravit. Quo signo etiam
intellige, vota tua non irrite futura; sed, quod
exequi pie proposuisti, re ipsa præsta: idque

B trina diversi diebus habita processione; pri-
ma videlicet sequenti die (qua dies erat circi-
ter Kal. Maii anno mcccxi) altera postridie ejus
diei; tertia vero die festo Inventionis S. Cru-
cis: quo die, malis spiritibus expulsis, pror-
sus liberaberis."

quamque, poto
adimplete, li-
berat.

89 At evigilans Aurelia visionem admirari et
de rei veritate non nihil suspicari, ne qua subes-
set illusio. Itaque summo mane, ut de veritate
certior fieret, Victoriam sociam suam interro-
gat, num de lampade in veteri ecclesia ponen-
da umquam cogitasset. Quæ id quidem se diu
optasse respondit; sed dolere, quod pro voto
suo satisfacere non posset, quod tamen nemini
significasset. Hoc audito Aurelia, quod viderat
in somnis, haud vanum esse intelligens, quam
constituerat, processionem exequi cœpit, as-
sumptisque secum aliis quattuor sacris virgini-
bus, per tres dies, ut diximus, constitutos pas-
sus ad sacellum in horto situm nudis pedibus
orans emetitur, ad singulos passus dicens:
"Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi,
quia per sanctam Crucem tuam redemisti
mundum. Libera me, Domine, ab istis draconis-
bus inferis." Ad sacellum progressa, ante-

C beatissimæ Virginis imaginem prostrata, Ale-
xandri episcopi virtutes, labores et merita recon-
gitans, ejus apud Deum opem supplex implora-
vit. Dum ita precaretur, ex naribus, ore et oculis
ejus immundi spiritus, magna vi coacti, quasi
scintillæ ignis ardentes exhibant: atque ipso die
S. Crucis sacro, peracta tertia supplicatione sum-
ptaque prius sacrosancta Eucharistia, ut illi
prædictum erat, ope divina prorsus libera et in-
columis evasit: simulque intimo quadam in-
stinctu, quasi angelico nuncio, fuit admonita,
se per intercessionem B. Alexandri Sauli libe-
ratam esse. Quo divino recreata beneficio, deinceps
at omni diabolica vexationis molestia pen-
itus libera fuisse comprobavit. Quod exinde
post diuturnas ac varias ad rem explorandas
per dies centum et amplius adhibitas probatio-
nes et fere duorum annorum spatio compertum
est. Haec ipsa Aurelia aliquie plurimi ejusdem
rei testes omni exceptione majores in judicio di-
ligenter examinati jurejurando asseruere.

90 Allegrina de Lu, diurna febri catar-
rhoque laborans, et lecto surgens, in quo per
multos dies ægra jacuerat, invocato divino au-
xilio, per Alexandri merita, utcumque potuit,
exurrexit, ad ejusque sepulcrum baculo nixa se

se, licet ægre, proripuit: ubi fusis ex animo
precibus pro salute sua, domum sana rediit, ba-
culo ad sepulcrum relicto. Jo. Baptista, Antonii
Maria Tibaldi filius, octodecim circiter menses
natus, Ticini fascinò semestrique febri continua
correptus, ita contabuerat, ut pellis vix ossibus
hæret. Cumque nulla ei humana remedia pro-
dissent, pater ejus ad divina configit; ac per
Alexandri preces et merita, nuncupato voto,
statim filium convalescentem lætus aspergit.
Sed postea, cum de solvendo voto minus, quam
par erat, cogitat, puer in pristinum recidit
languorem. Ex quo pater, suam negligentiam
agnoscens et arguens, votum confirmavit et
solvit. Quo facto, protinus filius iterum conva-
luit sanusque, ut vidimus, optime adolescit.
Quo quidem duplice miraculo divinum illud
effatum verum esse Dominus monstravat:
"Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. Di-
splicet enim ei infidelis et stulta promissio."

Eccles. 8. III.

*mulier morti
juni proxima,
et alia gravi
matricis dolo-
re affecta,*

91 Hortensia, uxor nobilis viri Fabricii Cam-
pesii, jam per tres menses gravi febre dolori-
busque in variis corporis partibus afflita, pro-
pe erat, ut moreretur; propterea sacro jam oleo
delubita, se ad emigrandum e vita præparabat:
cum ecce, Alexandro Sauli suppliciter invoca-
to eique voto facto, statim quiescere copit ac
suaviter obdormire: mox evigilans meliusque
habens, febri, doloribusque extinctis, octo die-
rum spatio surrexit prorsus incolumis. Margarita,
Alexandri Salvadæi uxor, cum per dies fere
quinquaginta gravibus matricis doloribus vexata
fuisset, nulloque humano remedio levaretur,
divinam opem per Alexandri merita supplex
implorans exoravit, eique voto nuncupato, post
quietem evigilans se sanam inventit.

92 Sed in eo, quod sequitur, divinam virtu-
tem per hujus Servi Dei intercessionem magis
licet admirari. Aurelia, Joannis de Regibus
uxor, Ticini jam per quinquennium gravissimis
renum et laterum, denique totius corporis affli-
cta doloribus, paralyticæ decumbebat immobi-
lis: neque etiam aliena manu, nisi acri crucia-
tu, per lectum dimoveri poterat. Morbi condi-
tionem medici sibi incognitam, nedum sanabi-
lem esse, licet multis nequicquam adhibitis
remediis, profitebantur: eamque fere per annum
curare desierant. Illa tandem cum de Alexandri
signis inaudisset, eum invocare cœpit; votoque
se obligans, tantum, ut in lectulo se se commo-
vere posset, supplex rogavit. Id enim satis ma-
gnum beneficium esse ducebatur. Quod cum stâ-
tin obtinuisse, se se ipsa movens, lætabunda
majore concepta fiducia, ut e lecto surgere, miti-
gatis doloribus, posset, per Alexandri preces
rogans impetravit. Itaque duplice leta benefi-
cio, aucta fide et animo, ut integrum salutem
obtineret, ad Alexandri sepulcrum, lignis in-
nixa fuleris, utcumque potuit, obrepens se se con-
tulit, ibique in preces et lacrimas effusa, Deo de
accepto per eum beneficio gratias agens, pristi-
næ est restituta sanitati; fulcrisque ibidem re-
lictis, domum per se rediit, ac deinceps, ut vidi-
mus, ab eaque et aliis accepimus, domesticae
curæ labores ab omni languore libera jamdiu
pergit sustinere.

93 Claudia, uxor viri nobilis Jo. Jacobi Ma-
rotii, in gymnasio Ticinensi medicam artem
profidentis, ægrotans, jamque moribunda a me-
dicis deplorata, loquelaque, ac sensibus desti-
tuta, prope erat, ut animam efflat: cum ecce

*alia sensibus
destituta, mu-
lier in articu-
lo mortis con-
stituta, item
filia epileptica,*

vir

Per Beati me-
rita diuturna
febris, item
fascinum pel-
luntur:

A. GABUTIO.

vir ejus Alexandrum episcopum in conjugis salutem invocans, eam, seque illi devovet, voto facto, protinus illa cœpit convalescere, mox loqui atque octo circiter dierum spatio integrum valetudinem nullo alio remedio penitus recuperavit. Catharina Papazona, nobilis viri Petri Imberti Physici Ticinensis uxor, cum ex gravi morbo a medicis derelicta, in articulo mortis constituta esset, vir ejus, voto facto, illam B. Alexandro commendavit, eaque statim ad se reversa respirare cœpit ac brevi horarum spatio prorsus convaluit. Cæcilia, Josephi Marini Franciscaque Restæ conjugum filia quinquennus, epileptica decies fere quotidie Tinici cædebat horribiliter, nulloque remedio juvari posse videbatur. Mater eam ad B. Alexandri sepulcrum deduxit: ibique, emiso voto, in jejuniu et oratione filiæ salutem a mane usque ad vesperam suppliciter implorans perseveravit; perseverantiaeque fructum retulit, filiæ sanitatem: quæ deinceps ejusmodi morbo nusquam laboravit.

B 94 Alia quedam honesta mulier Ticinensis, nomine Benedicta, ulcus in cruce caprici specie, magno cum dolore sufferebat, quo sensim carnem absumente, in vita discrimine versabatur. Nocte quadam Alexander, intimo affectu in aestu doloris ab ea invocatus, statim adfuit; eique, dolore absterto, sanitatem, ut ab ea acceptimus, post biduum omnino restituit.

Juvenis decon-
femina ulcer-
affecta sanita-
tem recupe-
ravit.

95 Hieronymus Pauli Æmilii Caponagi nobilis Ticinensis civis filius, dicem circiter annos natus, cum aliis pueris in domestica portiu ludens, in altum puteum, qui putridis tabulis, saxis, ac ruderibus aggrestis operiebatur, cedidit. Casus ita fuit: fractis, quas pedibus incavatus ille premebat, tabulis, intro cadens, brachii suspensus B. Alexandri opem imploravit, cuius imaginem in sinu pro sua pietate gestabat. Sed, ut divini beneficii gratia magis eluceret, permisit Deus, ut in imam aquam citius, quam ut eripi posset, decidaret, secum trahens totam illam lignorum lapidumque congeriem in caput ejus corruentem. Quod cum socii aliquæ domestici vidissent, eum tanta mole obrutum aquaque submersum esse arbitrabantur. Statim vero tenuem funiculum, cum firmiorem ad manum non haberent, uncino ferreo præmunitum in puteum demiserunt. Quo ille repente, nescit, quoniam modo, injecto pede, prorsus illæsus, cunctis admirantibus, sed madidus ac sordidus fuit extractus: ac tantum beneficium Deo acceptum per Alexandri, quem ipse cadens invocaverat, intercessionem ille parentesque, et alii retulerunt. Quæ omnia ab ipso pueru præsentæ et attestante, et ab aliis, qui viderunt, accepimus.

Puer febribus
et pustulis,

96 Hieronymus Sellarius Ticinensis filiolum habebat febribus et pustulis ita laborantem, ut de illius salute medicorum judicio spes nulla reliqua esset, propeque jam erat, ut animam exhalaret. Pater itaque humanis diffidens remediis, fretus divinis, ad Alexandri sepulcrum supplex accurravit; ac, voto facto, filio sanitatem implorat, atque, ut, quod petebat, efficacius consequatur, monachos duos Cappucinos in via obvios ad ipsum sepulcrum precatores adhibet. Denique domum reversus, filium convalescentem cibosque, quos antea respuebat, capientem invenit, qui bidui spatio ab omni morbo liber evasit.

97 Daria de Regibus, matrona Ticinensis

in parochia S. Nicolai, jam per quinquennium frigidum humorē in capite assiduo cum dolore patiebatur, ut cerebro grandem glaciem suffere videretur. Qui humor in oculos defluens, illi visum obfuscabat, et in humeros ceteraque inferiores partes descendens, acerbum ei dolorem inferebat. Cum autem multa adhibita remedia nihil proficiens, hortatu Lauræ Beccaria amicæ sua, quæ et ipsa, Alexandro episcopo intercedente, divino quadam beneficio dignata fuerat, ad ejus opem perfugit, Lauramque rogit, ut, quoniā ipsa ad Alexandri sepulcrum pergere non posset, id illa præstare velit; quicquid voti Alexandro pro ipsa fecisset, id se ratum habituram diligenterque præstiratum. Itaque Laura ad sepulcrum progressa divini Sacrifici oblationem Deo et Alexandro una cum argentei capitis munere pro ea despondet. Quæ omnia Daria cum rata grataque habuisset ac plena fide persolvisset, statim ab omni languore libra fuit et deinceps vixit incolumis.

matrona capi-
tis humorē.

98 Mulier quedam Ticinensis, nomine Bartholomea de Monte Alto, olim dæmonum passa vexationem, ex qua, quod jam per anni spatium nullam ei molestiam intulissent, cum se exemptam esse arbitraretur, ad Alexandri sepulcrum orans vexari denuo cœpit, hostibus se prodentibus, et Alexandri Sauli causa latere se non posse, sed ab eo expellendos esse proclamatibus. Quod nec ita multo post re ipsa contigit: dum in æde S. Bartholomæi, Alexandri nomine Exorcista illis imperante, deceaserunt. Eaque, ut deinceps comprobatum est, libera prorsus fuit ab omni dæmonum vexatione.

mulier dæmo-
norum vexatio-
ne,

99 Susanna Zaja Ticinensis, cum a dextro femore ad pedem usque gravi ac diurno morbo tamque acri dolore vexaretur, ut neque stare, neque incidere, neque in lecto conquesceret, nisi cum acerbissimo cruciatu, posset, pede quasi mortuo, ad Alexandri sepulcrum baculo nixa vix cum se contulisset, ibi orans sanata est, ac sine baculo domum per se reversa, nihil amplius mali sensit. Antonia Succia ægrotans ex febre, vomituque tam molesto, ut alimenta retinere nullo modo posset; cum die quadam de Alexandri signis sanctitatibus sermonem habuisset, sequenti nocte ipsi vigilanti Alexander apparuit, splendida facie; ad cuius aspectum illa perterrita dixit, non audere se ab eo quicquam petere, quoniam sacrosanctis confessionis, et communionis sacramentis nondum expiata fuisse. At ille hilari vultu eam intuens, eique benedicis evanuit. Mox ipsa omnino nihil deinceps passa convaluit.

filia femoris
dolorē, alia fe-
bri et vomitu,

100 Constantius Crassus, cum videret uxorem suam jam triduum magno cum dolore, atque ejus, fœtusque in corpore transversi periculoso parturientem, ad Alexandri opem confugit; eumque precatus, uxori, prolique salutem impetravit. Nam illa protinus sine ulla sua, fetus que lassione peperit a.

item mulier pe-
riculoso parti-
berantur.

ANNOTATUM.

a His miraculis (*inquit hujus Vitæ editor*) in Italico Ms. alia xi adjectit Gabutius, que comperta ipsi postea, et explorata fuere. Hæc tamen referre omittimus, ne opus præcipuum excedant additamenta. Id vero facimus minus inviti, quod in eadem ferme recidant mirabilem

num

A lium capita, quæ jam narrata sunt. Difficile autem esset omnia retexere, quorum numerus tempore semper crevit, crescitque in dies magis. Quare ne propositam ab initio compendii rationem pratereamus, id solum adjungemus, quod necesse est; ut scilicet Alexandro divina auctoritate sacri honores, qui Beatum decent, in terris denique fuerint decreti. Paulo post Alexandri obitum, elapsis 19 annis, summa fide ac legitima auctoritate quæsitum est de heroicis Servi Dei virtutibus, ejusque rebus gestis mirabilibus; quæque constabant, certis testimoniis et monumentis in Acta publica et iuridica per plures episcopos variis in locis digesta fuerunt. Inducta autem causa in Romanam saeculorum Rituum Congregationem, in eaque singulis ordine et tempore recognitis, discussis ac definitis, anno demum MDCXXI Alexandrum Beatos inter ævo perfrui sempiterno, supremo judicio certa scientia declaravit Benedictus XIV Pont. Opt. Max. ad Christi Ecclesiæ gubernacula feliciter sedens. Qui, eodem die, quo ad Pontificiam dignitatem benignissima Dei

B Providentia ipsum exxit, diem indixit generali Congregationi coram se in hac caussa celebranda, qui dies fuit v. Kal. Octobris anni MDCCXL. Mox viii. Kal. Februarii, festo scilicet Conversionis S. Pauli Ordinis nostri patroni, ad S. Caroli in Urbe ecclesiam nostram ejus diei solemnia celebrantem se contulit Pontifex clementissimus, ibique sacris Mysteriis peractis, miracula jam antea examinata rite adprobavit. Hinc post alium conventum coram se habitum xii. Kal. Aprilis, v. Id. ejusdem mensis caussam decreto suo definivit: ix autem Kal. Maii magna Urbis frequentia, divinaque auctoritate Alexandrum Beatorum gloria in celis donatum palam renuntiavit, Beatique honores eidem habere in terris ipse cepit, et ubique terrarum habendos esse decrevit.

APPENDIX.

Benedictus XIV Alexandrum Sau-
lium in Beatorum numerum re-
fert.

BREVE BEATIFICATIONIS BEATI ALEXAN-
DRI SAULII,

EX CLERICIS REGULARIBUS S. PAULI BARNABITI-
NUNCUPAT, PRIMUM ALERIE, DEINDE PAPLE
EPISCOPI.

BENEDICTUS PAPA XIV

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

*Benedictus
XIV Papa
adicit,*

B enignitatem Dei nostri et divitias bonitatis ejus in servi Dei Alexandri Saulii, pri-
mum Alerie, deinde Papie antistitis, virtuti-
bus ac meritis extollere et praedicare non reli-
gionis modo debitum esse ducimus officium;

sed nihil etiam intelligimus in hac temporum conditione esse opportunius, quam, ut universis Christi fidibus et animarum maxime pastori- bus umeriora suppetant ad imitationem exempla, atque in ejusdem patrocinio factisque admirans præsidia ad pacem, tranquillitatem et salutem tam inter Christianos omnes, quam inter eos potissimum populos procurandam, quos ab illo per viginti et amplius annos, non tamquam solius Alerie episcopo, sed totius Corsicæ Apo- stolo, olim salutaribus monitis ac legibus instructos et moribus correctis, extinctis odiis, conciliatis amicis, reformatisque clericis, viam mandatorum Dei currere edoctos ipsa rerum humanarum divinarumque perturbatio, jam dum inibi exorta, a tradita sanctissima disciplina alienos tenet.

2 Eapropter inter præcipuas partes Apostoli munieris, quod altissimo divine Sapientiae consilio infirmatati nostræ impositum est, illam ministerio rite sancteque obeundo magis congruentem reputamus, ut ad cælestem nobis pro merendam opem studeamus, quantum nobis ex alto conceditur, ad omnipotens Dei glo- riam, Catholicae Ecclesiæ decus, bonumque Christiani populi exemplum, promovere cultum et veneracionem ejusdem Servi Def, qui pueritiae curriculo summa cum pietatis et doctrinarum laude confecto, severioris discipline institutum in Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum nuncupata amplexus, omnium religiosarum virtutum splendore longe lateque præfusil, et ad pastorales ovium sibi commendatarum curas evocatus, ita se ges- sit, ut optimi Pastoris officio perfunctum a Pastorum principe Iesu Christo æterna mercede donatum fuisse non dubitemus. Cum itaque, mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus prepositorum, Processibus, de Apostolicae Sedis licentia confeccis, super sanctitatem et virtutibus tam theologicas, quam moralibus in gradu heroico, quibus idem servus Dei Alexander Saulius multiplicitate claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem, a Deo patrata fuisse asserebatur, eadem Congregatio coram nobis con- stituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu unaque voce censuerit, posse quan- documque nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari eum consuetis Indultis.

3 Hinc est, quod nos piis atque enixis quamplurimum venerabilium Fratrum Archiepiscoporum et Episcoporum, nec non dilectorum filiorum magistratum, procerum et populorum Italie præsertim, ac totius insuper antedictæ Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli supplicationibus (quas olim etiam humiliiter datas fel. rec. Prædecessoribus nostris Innocentio PP. X a cl. me. Ferdinandus Romanorum Rex in imperatorem electus, Clementi PP. X b bo. me. Emanuel Sabaudiæ Dux, et Innocentio PP. XI c Cosmus itidem bo. me. Etruriæ sibi subjectæ magnus dux, piarum suarum precium accessione roboraverant, et fel. pa- riter rec. Clementi PP. XII d itidem Præde-cessori nostro charissima in Christo filia nostra Maria Amalia utriusque Sicilia, et Hierusalem regina illustris, ac nobis ipsis nuper dilecti filii nobiles viri dux, et Republica Januensis renovarunt)

*cur Alexan-
drum Saulium*

a

b

c

d

A. GABUTIO.

renovarunt) nobis super hoc humiliter portrectis benigne inclinati, de supradictæ Congregationis consilio et assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, utidem Dei servus Alexander Saulius imposterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus et reliquæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur.

*Ipsius festum
diem quotannis
in nominatis
hic ecclesiis*

e

4 Imagines quoque radiis, seu splendoribus exormentur, ac de eo quotannis die xxiii mensis Aprilis e recitetur Officium et Missa de communi Confessoris Pontificis cum Oratione a nobis approbata, juxta Rubricas Breviariorum, et Missalis Romani. Porro recitationem Officij, et Missa celebrationem hujusmodi fieri concedimus tamtaxat in universa Congregationeorumdem Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, in civitate Mediolanensi, ubi natus et Regularem emisit professionem, in diocesis tam Aleriensi quam Ticinensi, quibus episcopus praefuit, et in civitate Januensi, unde originem duxit, et ubi adhuc ejus nobilis gens, et familia perstet, ab omnibus utriusque sexus B Christi fidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, et quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus.

5 Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis et quoad Indias a die, quo eadem litterae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis Congregationis, civitatum, et diocesum antedictarum solemnia Beatiacionis ipsius Servi Dei cum Officio, et Missa sub ritu duplice majori, die ab Ordinariis respective constituta,

*celebrari posse
concedit.*

D postquam in Basilica nostra S. Petri in Vaticano de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia ipsa die xxiii currentis mensis Aprilis, pariter celebrandafacimus potestatem. Non obstan. Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contraria quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis et sigillo Praefecti ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ob omnibus, et ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibite, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Magorem sub Annulo Piscatoris die xxii Aprilis 1741, Pontificatus nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioeius.

ANNOTATA.

a Petri Cathedram anno 1644 ascendit, cui anno 1655 Alexander VII successit.

b Romanum Pontificatum anno 1670 adiit, E anno vero 1676 ex hac vita migravit.

c Supremum Pontificatus fastigium anno 1676 ascendit, obiit anno 1689.

d Ecclesie gubernacula ab anno 1730 usque ad Incarnationi Verbi annum 1740 tenuit.

e Quamvis ex hoc summi Pontificis decreto B. Alexandri festum quotannis die 23 Aprilis in citatis ecclesiis celebretur, tamen hodie ejus Acta illustravimus, quia die xi Octobris obiit et apud suos hoc die etiam colitur, ut in Commentario prævio monimus.

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM V OCTOBRI.

- A bbarca (*Barbara*) fluxu sanguinis per S. Ludovicum liberata 420 e. Rosarium, Catharine Espina a S. Ludovico datum, obtinuit 457 f
 Abbarca (*Isabella*) pestilenti carbunculo per S. Ludovicum liberata 349 e, 420 e
 Abderamenus, Maurorum in Hispania rex, legatos ad Ottонem I misit 423 b f
 Abegla (*Hieronymus*) 328 d, 378 a, 379 f, 394 c, 421 c. *Colloquia spiritualia cum S. Ludovico serere solitus* 314 f, 315 d, 379 a b. *Circulum lucidissimum, operante Sacris S. Ludovico, vidit* 315 b. *Quedam illi predicit S. Ludovicus* 379 c d, 380 e. S. Ludovicum via induci potuisse, ut lecto cubaret, testatus est 343 e, 381 b
 † Ablebertus, Cameracensis episcopus, S. Venantii Hannoniensis frater perperam dictus 129 a b c d
 Abobinus. Vide Abolinus.
 Abolinus, Bettonis frater, et SS. Aguilbertæ et Ebrégisili Meldensis episcopi, ut quidam aiunt, pater 117 b
 Abreham, Æthiopum rex 607 a
- Abtalmon et Soror ejus martyres inter Prætermisso 6 b
 Abtolamon. Vide Abtalmon.
 † Abundius, episcopus Comensis, solenni supplicatione honoratus 634 e
 Acacius patriarcha CPolitanus inter Prætermisso 495 c, 611 b
 † Acepsimas episcopus martyr inter Prætermisso 3 a
 Alcia. Vide Alcia.
 Aclibertus, qui cum uxore et filia a S. Vinardino conversus et baptizatus dicitur 669 c, 670 c d
 Acosta (*Josephus*) S. J. primus collegii Taurinensis rector 217 b; in Peruviam missus 219 b
 Ada, dæmone, delatis Malmundarium S. Nigasii etc. reliquis, liberata 556 c d
 Adalbero, Metensis episcopus, Frederici Lotharingiæ ducis filius 738 a b
 Adalbero, Metensis episcopus, in fidem ab Ottone I receptus 710 f, 716 c, 729 c d f, 737 e. Frederici Lotharingiæ ducis frater 738 a
 Adalbertus,